



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1682. usque ad annum 1690

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 90119231**

Liber CCIX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67608)



*Jacobus II. Angliæ Rex a Calvinistis solio deiectus.*

# HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

CONTINUATÆ.

*LIBER CCIX.*

INNOCENT. XI. PONTIF. MAXIM.  
LEOPOLDUS I. ROM. IMP.

§. I.

*Innocentii Pontificis responsum ad Pa-  
risiensem Cleri Gallicani Con-  
ventum.*

Sæc. XVII.  
A. C. 1682.

**R**eceptis ex Francia literis, Innocen-  
tius Papa indignissime ferens, quod  
Franciæ Præsules Parisiis in co-  
mitiis congregati in causa universam  
*Hist. Eccles. Tom. LXV.*

*Abregé  
chron. de  
l'Hist. Eccl.  
t. 3. p. 483.*

A Ec-



Sæc. XVII. Ecclesiam concernente, atque apud Se-  
A. C. 1682. dis Apostolicæ Tribunal pendente judi-  
 cium ferendi auctoritatem sibi arrogaf-  
 sent, cuncta circa Regaliæ controver-  
 siam ab eis decisa, atque Regi asserta,  
 & indulta veluti irrita nullaque decla-  
 ravit, die undecima Aprilis dato ad eos  
 sequenti diplomate Apostolico:

„Paternæ charitati, qua charissi-  
 „mum in Christo filium nostrum Ludo-  
 „vicum Regem christianissimum, & Ec-  
 „clesias vestras, vos ipsos, & univer-  
 „sum illud Regnum amplectimur, per-  
 „molestum accidit, ac sane acerbum,  
 „cognoscere ex vestris literis die tertia  
 „Februarii ad nos datis Episcopos, Cle-  
 „rumque Galliæ, qui corona olim, &  
 „gaudium erant Apostolicæ Sedis, ita  
 „se erga illam in præsens gerere, ut co-  
 „gamur multis cum lacrimis usurpare  
 „propheticum illud: Filii matris meæ  
 „pugnauerunt adversum me. Quamquam  
 „adversum vos ipsos potius pugnetis,  
 „dum nobis in ea causa resistitis, in qua  
 „Vestrarum Ecclesiarum Salus, ac li-  
 „bertas agitur, & in qua Nos pro vi-  
 „ribus, & dignitate Episcopali in isto  
 „Regno tuenda, ab aliquibus Ordinis  
 „vestri piis, ac fortibus Viris appellati  
 „absque mora surreximus, & jam pri-  
 „dem in gradu stamus, nullas privatas  
 „nostras rationes secuti, sed debitæ  
 „Ec-



Sæc. XVII.  
A. C. 1682.

„Ecclesiis omnibus sollicitudini, & in-  
 „tino amori erga vos Nostro satisfacturi.  
 „Nihil sane lætum, vestrisque nomini-  
 „bus dignum eas literas continere, in  
 „ipso earum limine intelleximus, nam  
 „præter ea, quæ de norma in comitiis  
 „convocandis, peragendisque servata  
 „asserebantur, animadvertimus, eas  
 „ordiri a metu vestro, quo suasore nun-  
 „quam Sacerdotes Dei esse solent, &  
 „in ardua & excelsa pro Religione, &  
 „Ecclesiastica libertate, vel aggredien-  
 „do fortes, vel perficiendo constantes.  
 „Quem quidem metum falso judicatis  
 „posse vos in sinum Nostrum effundere;  
 „in sinu enim nostro hospitari perpetuo  
 „debet Charitas Christi, quæ foras mit-  
 „tit, & longe arcet a se timorem. Qua  
 „charitate erga vos, Regnumque Gal-  
 „liæ paternum cor Nostrum flagret,  
 „multis jam, magnisque experimentis  
 „cognosci potuit, quæ *his referre*, non  
 „est necesse: Si quid est autem, in quo  
 „bene merita de vobis sit charitas no-  
 „stra, id esse imprimis putamus, hoc  
 „ipsum Regaliæ negotium, ex quo si  
 „res serio perpendatur, omnis ordinis  
 „vestri dignitas, atque autoritas pen-  
 „det. *Timuistis ergo, ubi non erat timor:*  
 „id unum timendum vobis erat, ne a-  
 „pud Deum, hominesque redargui rite  
 „possentis, loco atque honori vestro, &  
 „Pasto-



Sæc. XVII. „Pastoralis officii debito defuisse: me-  
 A. C. 1682. „moria vobis repetenda erant, quæ  
 „antiqui illi Sanctissimi Præfules, quos  
 „quamplurimi postea qualibet a tate  
 „sunt imitati, Episcopalis constantiæ,  
 „ac fortitudinis exempla in hujusmodi  
 „casibus ad vestram eruditionem edi-  
 „derunt. Intuendæ imagines Præde-  
 „cessorum vestrorum, non solum, qui  
 „Patrum, sed qui nostra quoque me-  
 „moria floruerunt, & qui Ivonis Car-  
 „notensis dicta laudatis, debuistis etiam  
 „facta, cum res posceret, imitari. No-  
 „stis, quantum is fecerit, passusque sit  
 „in turbulenta illa, & periculosa con-  
 „tentione inter Urbanum Pontificem,  
 „& Philippum Regem, muneris sui esse  
 „arbitrans, contra Regiam indignatio-  
 „nem stare, bonis spoliari, carceres &  
 „exilia perferre, deserentibus aliis caus-  
 „sam meliorem. Officii vestri erat Se-  
 „dis Apostolicæ auctoritati vos adjun-  
 „gere, & Pastoralis pectore, humilitate  
 „Sacerdotali causam Ecclesiarum ve-  
 „strarum apud Regem agere, ejus con-  
 „scientiam de tota re instruendo, etiam  
 „cum periculo Regium in vos animum  
 „irritandi, ut possent impolterum sine  
 „rubore in quotidiana Psalmodia Deum  
 „alloquentes Davidica verba proferre:  
 „loquebar de testimoniis tuis in conspectu  
 „Regum, & non confundebam. Quanto  
 „ma-



„magis id vobis faciendum fuit, tam Sæc. XVII.  
 „perspecta & explorata optimi Principis A. C. 1682.  
 „iustitia & pietate, quam singulari pie-  
 „tate Episcopus audire, Ecclesiis fa-  
 „vere, & Episcopalem potestatem in-  
 „temeratam velle, vos ipsi scribitis, &  
 „Nos magna cum voluptate legimus in  
 „vestris literis. Non dubitamus, si ste-  
 „tissetis coram Rege pro causæ tam  
 „iustæ defensione, neque defutura vo-  
 „bis verba, quæ loqueremini, neque  
 „Regi cor docile, quo vestris annueret  
 „postulatis. Nunc, cum muneris ve-  
 „stri, & Regiæ æquitatis quodammodo  
 „obliti in tanti momenti negotio silen-  
 „tium tenueritis, non videmus, quo  
 „probabili fundamento significetis, vos  
 „ad ita agendum adductos, & quod in  
 „controversia victi sitis, quod causa ce-  
 „cideritis. Quomodo cecidit, qui non  
 „stetit? equis vestrum tam gravem,  
 „tam iustam causam, tam sacrosanctam  
 „curavit apud Regem? cum tamen Præ-  
 „decessores vestri in simili periculo con-  
 „stituti, non semel apud superiores  
 „Galliæ Reges, imo apud hunc ipsum  
 „libera voce defenderint, victoresque  
 „a Regio conspectu decesserint, relatis  
 „etiam ab æquissimo Rege præmiis pa-  
 „storalis Officii strenue impleti? Equis  
 „vestrum in arenam descendit, ut op-  
 „poneret murum pro domo Israel? quis



Sæc. XVII. „ausus est invidiæ se offerre? quis vel  
 A. C. 1682. „vocem unam emisit memorem pristinae  
 „libertatis? clamaverunt interim, sicut  
 „scribitis, & quidem in mala causa pro  
 „Regio jure clamaverunt Regis Admi-  
 „nistri, cum vos in optima pro Christi  
 „honore sileretis. Neque illa solidiora,  
 „quod reddituri nobis rationem, seu  
 „verius excusationem allaturi, rerum  
 „in hujusmodi comitiis per vos actarum  
 „exaggeratis periculum, ne Sacerdo-  
 „tium & Imperium inter se collidantur,  
 „& mala, quæ exinde in Ecclesiam, &  
 „in Rempublicam consequi possent, pro-  
 „inde existimasse vos ad officium ve-  
 „strum pertinere, aliquam inire ratio-  
 „nem tollendi de medio gliscentis dis-  
 „fidii, nullam vero apparuisse commo-  
 „diorem remedio a Patribus judicato,  
 „utili condescensione Canones tempe-  
 „randi pro temporum necessitate, ubi  
 „neque fidei veritas, neque morum ho-  
 „nestas periclitetur. Deberi ab ordine  
 „vestro, deberi a Gallicana, imo ab uni-  
 „versa Ecclesia plurimum Regi, tam  
 „præclare de Catholica Religione me-  
 „rito, & indies magis mereri cupienti,  
 „propterea vos jure vestro decedentes,  
 „illud in Regem contulisse. Omittimus  
 „hic commemorare, quæ significatis  
 „de appellato a vobis sæculari Magist-  
 „ratu, a quo victi decesseritis; cupimus  
 „enim



„enim ejus facti memoriam aboleri, & **Sæc. XVII.**  
 „volumus ea Vos verba a literis vestris **A. C. 1682.**  
 „expungere, ne in actis Cleri Gallicani  
 „resideant ad dedecus vestri nominis  
 „sempiternum. Quæ de Innocentio III.  
 „Benedicto XII. Bonifacio VIII. in ve-  
 „stram defensionem adducitis, non de-  
 „fuere, qui doctis literis ostenderint,  
 „quam frivola, atque extranea sint  
 „caussæ, & magis notum est, quam ut  
 „opus sit commemorare, quo Zelo, qua  
 „constantia eximii illi Pontifices Eccle-  
 „siæ libertatem defenderint adversus  
 „sæculares potestates, tantum abest,  
 „ut exempla eorum possint errori vestro  
 „suffragari. Ceterum ultro admitti-  
 „mus, & laudamus consilium relaxandi  
 „Canonum disciplinam pro temporum  
 „necessitate, ubi fieri id possit sine fidei  
 „& morum dispendio, imo addimus cum  
 „D. Augustino, toleranda aliquando pro  
 „bono unitatis, quæ pro bono æquita-  
 „tis odio habenda sunt, neque eradi-  
 „canda Zizania, ubi periculum sit, ne  
 „simul etiam triticum eradicetur. Id  
 „ita tamen accipi oportet, ut in aliquo  
 „tantum peculiari casu, & ad tempus,  
 „& ubi necessitas urget, licitum sit, sic-  
 „uti factum est ab Ecclesia, cum Aria-  
 „nos & Donatistas Episcopos ejurato  
 „errore suis Ecclesiis restituit, ut popu-  
 „los, qui secuti eos fuerant, in officio



Sæc. XVII., continerent. Aliud est, ubi disciplina  
A. C. 1682 „Ecclesiæ per universi amplissimi Regni  
 „ambitum sine temporis termino, &  
 „manifesto periculo, ne exemplum la-  
 „tius manet, labefactatur, imo everti-  
 „tur ipsius disciplinæ, & Hierarchiæ  
 „Ecclesiasticæ fundamentum, sicut e-  
 „venire necesse esset, si quæ a Rege  
 „Christianissimo in negotio Regaliæ nu-  
 „per acta sunt, conniventibus, imo e-  
 „tiam consentientibus vobis, contra no-  
 „tam jam vobis in eam rem mentem  
 „nostram, & contra ipsam jurisjurandi  
 „religionem, qua vos Deo, Romanæ  
 „Ecclesiæ, vestrisque Ecclesiis obstrin-  
 „xistis, cum Episcopali charactere im-  
 „bueremini, hæc executioni mandari,  
 „& malum invalescere diutius differen-  
 „do permetteretur, ac non ea nos pro  
 „tradita divinitus humilitati nostræ su-  
 „prema in universam Ecclesiam pote-  
 „state solemniter, Prædecessorum  
 „nostrorum vestigiis inhærentes, im-  
 „probaremus. Cum præsertim per ab-  
 „usum Regaliæ non modo everti disci-  
 „plinam Ecclesiæ res ipsa doceat, sed  
 „etiam fidei ipsius integritatem in di-  
 „scrimen vocari facile intelligamus ex  
 „ipsis Reginum Decretorum verbis,  
 „quæ jus conferendi beneficia Regi ven-  
 „dicant, non tanquam profluens ex ali-  
 „qua Ecclesiæ concessione, sed tanquam  
 „in-



„ingentum Regiæ Coronæ. Illam vero Sæc. XVII.  
 „partem literarum vestrarum non sine A. C. 1682.  
 „animo horrore legere potuimus, in qua  
 „dicitur, vos jure vestro decedentes, il-  
 „lud in Regem contulisse, quasi Eccle-  
 „siarum, quæ curæ vestræ creditæ sunt,  
 „essetis arbitri, non custodes, & quasi  
 „Ecclesiæ ipsæ, & spiritualia earum  
 „jura possent sub potestatis sæcularis ju-  
 „rum libertate in servitutem dare de-  
 „berent. Vos sane ipsi hanc veritatem  
 „agnoscitis, & confessi estis, dum alibi  
 „pronuntiastis jus Regaliæ servitutem  
 „quandam esse, quæ in ea præsertim,  
 „quæ spectant beneficiorum collatio-  
 „nem, imponi non potest, nisi Ecclesia  
 „concedente, vel saltem consentiente.  
 „Quo jure vos ergo illud in Regem con-  
 „tulistis? cum sacri Canones distrahi  
 „vetent jura Ecclesiarum, quomodo  
 „vos distrahere in animum induxistis,  
 „quasi eorundem Canonum auctoritati  
 „derogare liceat vobis? Revocate in  
 „memoriam, quæ inclitus ille Clareval-  
 „lensis Abbas, non Gallicanæ modo,  
 „sed universali Ecclesiæ lumen a vobis  
 „jure merito nuncupatus, Eugenium  
 „Pontificem officii sui admonens, reli-  
 „quit scripta præclare; meminisset se  
 „esse, cui claves traditæ, cui oves cre-  
 „ditæ sunt, esse quidem & alios Cæli



Sæc. XVII. „Janitores, & gregum pastores, sed  
 A. C. 1682. „cum habeant illi assignatos greges, sin-  
 „guli singulos, ipsi universos creditos.  
 „Unicum, nec modo ovium, sed &  
 „Pastorum Eugenium esse Pastorem,  
 „ideoque juxta Canonum statuta alios  
 „Episcopos vocatos fuisse in partem  
 „sollicitudinis, ipsum in plenitudinem po-  
 „testatis. Ex quibus verbis quantum  
 „vos admoneri par est de obsequio, &  
 „obedientia, quam debetis huic sanctæ  
 „sedi, cui Nos Deo authore, quam-  
 „quam immeriti præsidemus, tantum-  
 „dem Pastoralis nostra sollicitudo ex-  
 „citatur ad inchoandam tandem ali-  
 „quando hoc in negotio, quam nimia  
 „fors longanimitas nostra, dum poeni-  
 „tentiaæ spatium damus, hætenus di-  
 „stulit, Apostolici muneris executio-  
 „nem; quamobrem per præsentis lite-  
 „ras tradita nobis ab omnipotente Deo  
 „auctoritate improbamus, rescindimus,  
 „& cassamus, quæ in istis vestris co-  
 „mittis acta sunt in negotio Regaliaæ  
 „cum omnibus inde secutis, & quæ  
 „imposterum attentari contingat, eaque  
 „perpetuo irrita & inania declaramus,  
 „quamvis, cum sint ipsa per se mani-  
 „feste nulla, ea cassatione & declaratione  
 „hujusmodi non egerent. Speramus  
 „attamen vos quoque ipsos re melius  
 „considerata, celeri retractatione con-  
 „sul-



„sulturos conscientiae vestrae, & Cleri Sæc. XVII.  
 „Gallicani existimationi, ex quo Clero, A. C. 1682.  
 „sicuti hucusque non defuere, ita im-  
 „posterum non defuturos confidimus,  
 „qui boni Pastoris exemplo libenter ani-  
 „mam ponere parati sint pro ovibus suis,  
 „& pro testamento Patrum suorum. Nos  
 „quidem pro officii nostri debito parati  
 „sumus, Dei adjutrice gratia, sacrifi-  
 „care sacrificium justitiae, & Ecclesiae  
 „jura ac libertatem, hujusque sanctae  
 „Sedis auctoritatem, dignitatemque  
 „defendere, nil de Nobis, sed omnia  
 „de eo praesumentes, qui nos confor-  
 „tat, & operatur in Nobis, & qui jussit  
 „Petrum super aquas ambulare; *prae-*  
 „*terit enim figura hujus mundi, & dies*  
 „*Domini appropinquat.* Sic ergo agamus,  
 „Venerabiles Fratres, ac dilecti Filii,  
 „ut, dum summus Paterfamilias & Prin-  
 „ceps Pastorum rationem ponere volue-  
 „rit cum servis suis, sanguinem pessum-  
 „datae Ecclesiae, quam suo cruore ipse  
 „quaesivit, de nostris manibus non re-  
 „quirat. Vobis interim Apostolicam  
 „benedictionem, cui caelestem accedere  
 „exoptamus, intimo Paterni amoris  
 „affectu impertimur. Datum Romae  
 „die undecima Aprilis. Anno millesi-  
 „mo sexcentesimo octogesimo secundo. „



Sæc. XVII.  
A. C. 1682.

## § II.

*Parisini Conventus declaratio de potestate Pontificia.*

*Defensio  
decl. de  
potest. Ec-  
cles.*

Priusquam hæ Pontificis literæ ad Parisiensem Cleri Gallicani Conventum pervenerant, hi Præsules, ut prævisa Vaticani fulmina aut hebetarent, aut prævenirent, Pontificis potestatem ac Primatus dignitatem veluti ex totius Ecclesiæ Gallicanæ sententia, seu verius juxta novum Sorbonæ judicium limitare decreverunt. Hanc in rem per quatuor ferme Menses privatos habebant conventus, ac tandem die decima nona Martii huic negotio ultimam admovere manum. Itaque in publicis comitiis Archiepiscopus sex, ut vocant, *Commissarios* nominabat, Rhemensem, Ebrodunensem, & Albygensem Archipræsules, & Augustodunensem, Ruppellanium, & Tricassensem Episcopos, qui hucusque in Regalium negotio agitata die prima Maij discussissent: Postea idem Rhemensis Archiepiscopus habita oratione ostendit, quod Rex Ecclesiæ privilegia violasse, a violentis & seditiosis Episcopi Apamiensis Procuratoribus, immerito redarguatur, hos quoque summum Pontificem ad expediendas ejusmodi adegisse literas, quæ



quæ Canonicis monitionibus, quam Sæc. XVII.  
 paternis declarationibus similiores es- A. C. 1682.  
 sent, postea hæc subjunxit: „Circa Re-  
 „galem credimus principia Papæ, &  
 „regalistarum ex diametro se opponere.  
 „Dicit Papa, jus regalium emanare ab  
 „Ecclesia: Regalix jus esse Regale,  
 „temporale, & inseparabile a corona.  
 „Papa concilio adhæret Lugdunensi,  
 „a quo non licet recedere: Rex negat se  
 „Concilio subjectum in caussa pure ci-  
 „vili: propterea prædecessores suos nul-  
 „lum potuisse inferre præjudicium juri  
 „suo. Ratio si istis fuit ad conservanda  
 „privilegia Regalix in quatuor Provin-  
 „ciis, fortiozem esse Regi viventi, ad re-  
 „dimendum jus suum in reliquis Eccle-  
 „siis, in quibus jacebat diminutum oc-  
 „cassione asserti concilii, vel negligentia  
 „suorum officialium. Jus hoc tanquam  
 „mere civile nulli subjiciatur Magistratui  
 „Ecclesiastico, sed soli Regi, qui uni  
 „Deo rationem reddere tenetur, resi-  
 „stat Papa bullis suis, eas abusivas de-  
 „clarabit parlamentum tanquam at-  
 „tentata contra jus pure temporale, in-  
 „terim Palatini Officiales ruinam urge-  
 „bunt Ecclesiasticæ Jurisdictionis, & po-  
 „pulum concitabunt adversus Pastores  
 „suos: melius erit Regalem asserere e-  
 „tiam, ubi non est, quam Regem con-  
 „citare adversus Ecclesiam, sic in Lug-  
 „dunen-



Sæc. XVII. „dunensi Concilio Gregorius unacum  
A. C. 1682. „quingentis Episcopis merita perpen-  
 „denda Gallorum, qui Ecclesiam libe-  
 „raverant ab hæresi Albigenſium, &  
 „quod Philippo Francorum Regi resi-  
 „ſtere haud poſſent absque evidenti Ec-  
 „cleſiæ discrimine, tutius crediderunt  
 „ſacroſanctæ Synodi decreto abuſum  
 „adprobare Regaliæ, quamvis abuſus  
 „iſte inoleviſſet contra decreta concilio-  
 „rum præcedentium: concludamus ergo  
 „cum Ivone Carnotenſi: *Dicent forſitan,*  
*fortiores fortiora, meliores meliora, nos*  
*pro mediocritate noſtra ſic ſentimus, non*  
*legem in talibus præſcribentes, ſed propter*  
*vitanda majora pericula Eccleſiæ neceſſitati*  
*temporum, ſi commodius fieri non poteſt, ce-*  
*dendum eſſe intelligentes.*

Postremis autem hiſce Carnotenſis  
 Verbis haud obſcure inſinuare videba-  
 tur Archiepiſcopus, ideo Præſules Re-  
 galiam Regi cedere, eoquod eidem  
 illam denegare non auderent: Poſtea  
 Pariſienſis Archiepiſcopus, necnon Boſ-  
 ſuetius Meldeniſis Præſul præſentibus  
 Tornaceniſi, aliisque Episcopis, Cleri  
 Deputatis, & Sorbonæ Doctõribus hanc  
 in rem luculentas habuere orationes,  
 quibus abſolutis ſequentem fecere de-  
 clarationem:

„Eccleſiæ Gallicanæ Decreta & Li-  
 „bertates, a majoribus noſtris tanto  
 „ſtu-



„studio propugnatas, earumque fun- Sæc. XVII.  
 „damenta sacris Canonibus & Patrum A. C. 1682.  
 „traditioni nixa, multi diruere molien-  
 „tur; nec desunt, qui earum obtentu  
 „primatum Beati Petri ejusque Succes-  
 „sorum Romanorum Pontificum a Chri-  
 „sto institutum, iisque debitam ab om-  
 „nibus Christianis obedientiam, Sedis-  
 „que Apostolicæ, in qua fides prædi-  
 „catur, & unitas servatur Ecclesiæ, re-  
 „verendam omnibus gentibus majesta-  
 „tem imminuere non vereantur. Hæ-  
 „retici quoque nihil prætermittunt, quo  
 „eam potestatem, qua pax Ecclesiæ  
 „continetur, invidiosam & gravem Re-  
 „gibus & populis ostentent, iisque frau-  
 „dibus simplices animas ab Ecclesiæ  
 „Matris Christique adeo communione  
 „diffocient. Quæ ut incommoda pro-  
 „pulsemus: Nos, Archiepiscopi & Epi-  
 „scopi Parisiis mandato Regio congre-  
 „gati, Ecclesiam Gallicanam repræsen-  
 „tantes, una cum cæteris Ecclesiasticis  
 „Viris nobiscum deputatis, diligenti  
 „tractatu habito hæc fancienda & de-  
 „claranda esse duximus.

I. „Beato Petro ejusque Suc-  
 „cessoribus, Christi Vicariis, ipsique  
 „Ecclesiæ rerum spiritualium & ad  
 „æternam Salutem pertinentium, non  
 „autem civilium ac temporalium a Deo  
 „traditam potestatem, dicente Domino,  
 „Re-



Sæc. XVII. „Regnum meum non est de hoc mun-  
 A. C. 1682. „do; & iterum, reddite Cæsari quæ sunt  
 „Cæsaris; & quæ sunt Dei, Deo: ac  
 „proinde stare Apostolicum illud: Om-  
 „nis anima potestatibus sublimioribus  
 „subdita sit. Non est enim potestas  
 „nisi a Deo: Quæ autem sunt a Deo,  
 „ordinata sunt. Itaque qui potestati  
 „resistit, Dei ordinationi resistit. Reges  
 „ergo & Principes in temporalibus nulli  
 „Ecclesiasticæ potestati Dei ordinatione  
 „subjici, neque Auctoritate Clavium  
 „Ecclesiæ directæ vel indirectæ deponi,  
 „aut illorum subditos eximi a fide at-  
 „que obedientia, ac præstito fidelitatis  
 „Sacramento solvi posse, eamque sen-  
 „tentiam publicæ tranquillitati neces-  
 „sariam, nec minus Ecclesiæ, quam Im-  
 „perio utilem, & verbo Dei, Patrum  
 „traditioni, & Sanctorum exemplis  
 „consonam, omnino retinendam.

II. „Sic autem inesse Apostolicæ sedi  
 „ac Petri Successoribus, Christi Vica-  
 „riis, rerum spiritualium plenam pote-  
 „statem, ut simul valeant atque immota  
 „consistant sanctæ œcumenicæ Synodi  
 „Constantiensis, a sede Apostolica com-  
 „probata, ipsoque Romanorum Ponti-  
 „ficum ac totius Ecclesiæ usu confir-  
 „mata, atque ab Ecclesia Gallicana,  
 „perpetua religione custodita Decreta  
 „de Auctoritate Conciliorum Genera-  
 „lium,



„lium, quæ Sessione quarta & quinta  
 „continentur; nec probari a Gallicana  
 „Ecclesia, qui eorum Decretorum, quasi  
 „dubiæ sint Auctoritatis ac minus ap-  
 „probata, robur infringant, aut ad so-  
 „lum schismatis tempus Concilii dicta  
 „detorqueant. „

Sæc. XVII.  
 A. C. 1682.

III. „Hinc Apostolicæ potestatis usum  
 „moderandum per Canones Spiritu Dei  
 „conditos & totius mundi reverentia  
 „consecratos. Valere etiam Regulas,  
 „mores & instituta a Regno & Eccle-  
 „sia Gallicana recepta, Patrumque ter-  
 „minos manere inconcussos; atque id  
 „pertinere ad amplitudinem Apostolicæ  
 „Sedis, ut statuta & consuetudines tan-  
 „tæ Sedis & Ecclesiarum consensione  
 „firmatæ, propriam stabilitatem ob-  
 „tineant. „

IV. „In fidei quoque quæstionibus  
 „præcipuas summi Pontificis esse par-  
 „tes, ejusque Decreta ad omnes & sin-  
 „gulas Ecclesias pertinere, nec tamen  
 „irreformabile esse judicium, nisi Ec-  
 „clesiæ consensus accesserit. „

„Quæ accepta a Patribus ad omnes  
 „Ecclesias Gallicanas atque Episcopos  
 „iis Spiritu sancto authore præsidentes  
 „mittenda decrevimus; ut id ipsum di-  
 „camus omnes, simusque in eodem sensu  
 „& in eadem sententia.



Sæc. XVII. A. C. 1682. Huic declarationi præter Archiepiscopos Parisinum & Rhemensem subscripti leguntur sex alii Archiepiscopi, viginti sex Episcopi, & triginta octo Ecclesiastici, quorum tamen, cum ex iis non pauci aut metu, aut spe aut ira adacti noscuntur, numerus ac sententia, num totius Ecclesiæ Gallicanæ sententia dici, eaque tot retro sæculis ab omnibus Franciæ Ordinibus receptæ, & ab Universa Ecclesia adoptatæ doctrinæ prævalere possit, aliorum iudicio relinquimus, id tamen omnino certum est, quod hi Præsules privatas hæc suas opiniones duntaxat ad Ecclesiæ disciplinam, nullatenus vero ad fidei dogmata spectare arbitrati sint, cum universa Ecclesia in hoc conspirantes, quod *summo Pontifici jure Divino ab omnibus Christianis sit parendum in rebus fidei & morum.*

## §. III.

*Hæc declaratio Regis edicto firmata.*

*Regal, Sacerd. §. 3, præf. p. 128.*

Probe prospexerant hi Præsules, jactato etiam Universæ Gallicanæ nomine ac consensu nondum satis roboris, auctoritatisque novam eorum doctrinam fortiri, eapropter rationis, communis usus, antiquitatisque defectum supplementuri, Regis auctoritatem obtrudere nitentur. Igitur una omnes hanc suam de-



declarationem Ludovico exhibent, ei-  
 dem proponentes, quod ea nil nisi an-  
 tiquissimam Gallicanæ, imo Universæ  
 Ecclesiæ doctrinam sacris Scripturis,  
 traditione Apostolica, Sanctis Patribus  
 ac Conciliis firmatam contineret, at-  
 que aptissima esset, ut hæretici, qui  
 immodicam Pontificis auctoritatem vel  
 maxime aversantur, circumscripta ejus-  
 dem potestate eo facilius ad Ecclesiæ  
 Gremium reducerentur: Validæ nimis  
 erant hæ rationes ad convincendum  
 Regem cetera religiosissimum, fidei Ca-  
 tholicæ propugnatorem longe studio-  
 sissimum, & Hugonotas ad veram reli-  
 gionem revocandi studio flagrantissi-  
 mum: sine cunctatione igitur Ludovi-  
 cus Rex hanc Præsulum declarationem  
 Regia auctoritate fulcire intentus, die  
 trigesima tertia Martii sequens promul-  
 gavit edictum: „Quamvis potestatem  
 „nostram, auctoritatemque Regiam  
 „nulli hominum, sed soli Deo subjectam  
 „esse, veritas sit omnino explorata, &  
 „extra dubitationem omnem, inque sa-  
 „cris literis omnino asserta; non potui-  
 „mus tamen sine ingenti gaudio decla-  
 „rationem percipere, quam Ecclesiæ  
 „Gallicanæ Deputati in Conventu Pa-  
 „risiensi nostra concessione celebrato edi-  
 „derunt, eoque libentius supplicatio-  
 „nem ab iidem Deputatis nobis factam  
 B 2 „ad-

Sæc. XVII.  
 A. C. 1682.



Sæc. XVII. „admisimus, qua petebatur, ut ean-  
A. C. 1682. „dem declarationem toto Regno publi-  
 „cari juberemus: quod a Prælatiſ con-  
 „cepta fuerit tanta virtute & doctrina  
 „conſpicuis, quique in ea, quæ ad Ec-  
 „cleſiæ Catholicæ, noſtræque coronæ  
 „majorem pertinent dignitatem, ſum-  
 „mo ſtudio incumbant: præſertim quod  
 „præſatam declarationem ſuam pari ſa-  
 „pientia & moderatione temperaverint,  
 „ut nobis omnino polliceamur ea ſubdi-  
 „torum noſtrorum in ſacram ſedem re-  
 „verentiam, ac venerationem promo-  
 „tum, & Prædicantibus religionis, ut  
 „vocant, reformatæ, omnes prætextus  
 „& cavillationes ademptum iri, quibus  
 „Caput Eccleſiæ viſibilis, ejuſque au-  
 „ctoritatem (quam centrum unitatis  
 „Catholicæ agnoſcimus) Principibus  
 „exoſam, gravemque reddere laborant,  
 „objecta quorundam Scriptorum do-  
 „ctrina, qui eandem Papæ auctoritatem  
 „ſupra modum exaggerant. Propter  
 „has igitur aliasque rationes graviffi-  
 „mas, poſtque examinatam in noſtro  
 „Senatu præſatam Deputatorum de-  
 „clarationem perpetuo hoc noſtro, ſem-  
 „perque duraturo edicto volumus, at-  
 „que ordinamus, eandem declarationem  
 „in acta publica omnium Curiarum, &  
 „Parlamentorum noſtrorum, omnium-  
 „que Præfecturarum, Univerſitatum,  
 „Fa-



„Facultatum Theologiæ, jurisque Ca- **Sæc. XVII.**  
 „nonici, quæ nostro Regno, nostræque **A. C. 1682.**  
 „obediendiæ subsunt, referri.,

„Primo igitur omnibus Regni nostri  
 „subditis, atque etiam extraneis in no-  
 „stro Regno existentibus, tam Eccle-  
 „siasticis quam sæcularibus, cujuscun-  
 „que ordinis, Congregationis, locique  
 „fuerint, districte prohibemus, ne ali-  
 „quid declarationi præfatæ, illique com-  
 „prehensis propositionibus contrarium  
 „doceant.,

„Secundo, Præcipimus etiam, ut  
 „quicumque sacræ Theologiæ tradendæ  
 „admotus deinceps fuerit, priusquam  
 „hoc officium aggrediatur, seu Regu-  
 „laris, seu sæcularis sit, in Cancellaria  
 „eiusdem Facultatis præfatæ decla-  
 „rationi subscribat, promittatque, se  
 „nihil ab hac declaratione alienum in  
 „scholis lecturum aut docturum, cujus  
 „subscriptionis suæ copias a Notario le-  
 „gitime factas per Syndicum Facultatis  
 „Theologicæ Ordinariis, nostroque Re-  
 „gio & Generali Procuratori trans-  
 „mittat.,

„Tertio, Volumus quoque, ut in  
 „omnibus Collegiis, aut domibus præ-  
 „dictarum Facultatum, ubi plures sunt  
 „Professores, propositiones in hac de-  
 „claratione contentæ singulis annis do-



Sæc. XVII. „ceantur, ubi vero unicus Professor,  
 A. C. 1682. „quovis triennio. „

„Quarto, jubemus dein, ut singulis  
 „annis ad Scholarum apertionem no-  
 „mina omnium Professorum per Syndi-  
 „cum Facultatum Archiepiscopis, &  
 „Episcopis locorum, ubi commorantur,  
 „nostroque Procuratori, sicut etiam  
 „lectiones scholaribus impostero die-  
 „ctandæ transmittantur. „

„Quinto, mandamus pariter, ut  
 „nullus Baccalaureus ad Licentiatum  
 „aut Doctoratum admittatur, qui non  
 „prius in publica aliqua disputatione  
 „prædictas propositiones palam defen-  
 „derit. „

„Sexto, Monemus, ac etiam injun-  
 „gimus omnibus Archiepiscopis, &  
 „Episcopis, qui in nostris Regnis, Pro-  
 „vinciis, terrisque commemorantur,  
 „ut auctoritatem suam efficaciter inter-  
 „ponant, curentque propositiones jam  
 „dictas in suis Diæcesibus ab omni-  
 „bus doceri. „

„Denique omnes Syndici, & Fa-  
 „cultatum Decani operam sedulo da-  
 „bunt, ut præsens edictum executioni  
 „mandetur, alioquin perinde ac si in  
 „illud deliquissent, puniendi. „

Datum die vigesima tertia Martii An-  
 no millesimo sexcentesimo octogesimo  
 secundo.

Hog



Hoc Regis edictum unacum Præ-  
 sulum declaratione eadem die ad Par-  
 lamenti Parisiensis acta relatum est: Sæc. XVII.  
A. C. 1682.  
 Interim Estræus Cardinalis Cleri episto-  
 lam unacum hac declaratione summo  
 Pontifici exhibuit, ejusque confirma-  
 tionem petiit: repulsam tamen tulit,  
 „exprobrante Papa, quod pauci Epi-  
 „scopi absque Pontificis consensu non  
 „sine Successorum præjudicio antiquum  
 „jus abdicare præsumperint, sibi que  
 „jus vindicarint, in privato conventu  
 „nequidem a Papa vocati negotia uni-  
 „versam Ecclesiam concernentia decer-  
 „nendi: Eapropter Pontifex duodecim  
 Cardinalium congregationem instituit,  
 in qua de responsione Regi danda de-  
 liberaretur.

## §. IV.

*Conventus Parisiensis epistola ad cun-  
ctos Regni Præsules.*

Haud ignorabant Præsules a Clero *Palatius in  
Gallicano Deputati ac Parisiis in vita Innoc.  
suis comitiis congregati, quod ex ce- pag. 65.*  
 teris Franciæ Episcopis ac Clericis non  
 pauci veteribus Ecclesiæ Gallicanæ do-  
 ctrinis novæ huic declarationi contra-  
 riis adversus nuperos Sorbonæ ausus  
 firmiter adhærerent, ac nonnisi sub e-  
 mentito priscae Ecclesiæ jura ac dog-  
 mata



Sæc. XVII.

A. C. 1682

mata defendendi obtentu recentiores opiniones obtrudi censerent, hinc Parisiensis Conventus ad omnes Regni Præsules encyclicam dederunt epistolam, in qua demonstrare nitebantur, quod quatuor eorum articuli ad veritatis depositum, quod Christus suæ Ecclesiæ commisit, spectent, necnon Pontificum auctoritas in Principes primis octo Ecclesiæ sæculis incognita, non nisi ex Curia Romanæ ambitione ortum traxerit, e contrario autem horum articulorum veritas, etsi per plura sæcula fuerit obscurata, semper tamen passim ab universa Ecclesia fuerit adoptata &c. Præterea Præsules Ludovicum Maimburgum Jesuitam, cujus scriptitandi intemperiem sibi cognitam habebant, sollicitarunt, ut in factæ declarationis defensionem calamum suum exerceret, qui etiam aut gloriola ex nuperis suis libris collecta, aut Regis gratia, aut ultionis cupidine incitatus, librum, sub titulo *de privilegiis & Prærogativis Romanæ Ecclesiæ ejusque Episcoporum* edidit, illumque Ludovico Regi nuncupavit, opus sane Aulicis percharum, ejus tamen vitæ instituto, quod per quinquaginta quinque annos profitebatur, omnino indignum, quod forte ansam præbuit Pontificio edicto, quo P. Carolo Noiello, qui mortuo Paulo Oliva

Oliva



Oliva die quinta Julii in Societatis Præ-<sup>Sæc. XVII.</sup>  
 positum eligebatur, injunctum, ut cun-<sup>A. C. 1682.</sup>  
 ctis Provincialibus sub anathematis pœ-  
 na inhiheret, ne sine Romanæ Curix  
 permiffu libros typis edere præsume-  
 rent. Ceterum huic Pontificis man-  
 dato haud pronius fuit obtemperatum,  
 quam nupero Pauli Olivæ Generalis  
 præcepto, quo Patrem de la Chaise &  
 Maimburgum, eoquod verbo & calamo  
 Regalistas protegerent, ac propterea  
 Romæ Jefuitarum famam imminuerent,  
 ad fe Romam evocavit, quin ullus eo-  
 rum huic mandato obtemperaret. Ce-  
 terum eandem Cleri declarationem  
 ipsius Regis juffu calamo longe mode-  
 ratiore vindicabat Jacobus Benignus  
 Boffuetius, edita *defenfione declarationis*  
*celeberrimæ de potestate Ecclefiaftica*, quæ  
 ab ejus Nepote Boffuetio Trecenfi Epi-  
 fcopo primum viginti post annis Regi  
 confignata anno millefimo feptingente-  
 fimo trigefimo Lucemburgicis literis  
 excufa primam lucem aspexit.

§. V.

*Gallicani Cleri declaratio a pluribus  
 impugnata.*

Obtento Regis edicto mox Parlamen-<sup>Hode vie</sup>  
 tum aliunde fummo Pontifici in-<sup>de Louis</sup>  
 fenfum, eoquod feſe Regaliftarum vio-<sup>XIV. l. 41.</sup>  
 len-<sup>pag. 230.</sup>

B 5



Sæc. XVII. A. C. 1682. lentiis opposuisset, articulos contra Papæ auctoritatem editos in usum deduci, toto studio adlaborabat, ac propterea decretum edebat, vi cuius Achilles Harlæus Procurator Generalis, primus Parlamenti Præses, & sex Senatores ad Universitatem, Sorbonam, & juris Canonici Facultatem accedere, eisque Regis edictum ac Præsulum declarationem prælegere jubebantur. Igitur Achilles comitiorum Aulam ingressus, congregatis exposuit, quod Præsulum declaratione potestati Ecclesiæ nullatenus novi ponerentur limites, sed duntaxat a Christo in suo Evangelio positi explicarentur, contraria autem opinio nonnisi infirmissimis inniteretur Rationibus, quarum Gregorius VII. primus inventor affirmaret quidem, quod per potestatem ligandi atque absolvendi Petro & Ecclesiæ a Christo datam in ejus Successores, Principes suis Regnis spoliandi jus fuerit translatum, hanc tamen opinionem firmarit ex suppositio S. Clementis actu, ex Theodosii poenitentia ab Ambrosio injuncta, & ex S. Gregorii epistola, quæ nonnisi imprecationem in usurpatores bonorum Ecclesiæ Augustodunensis continet, ac denique ex injusto, & vix credibili Zachariæ Pontificis responso ad criminofam consultationem, qua quidam Fran-



Franciæ Rex ad rebellionis horrorem Sæc. XVII.  
 in Gallorum animis imminuendum uti A. C. 1682.  
 voluit: Hoc sermone percepto Univer-  
 sitas, necnon utriusque juris Faculta-  
 tes sine ulla tergiversatione tam Regis  
 edictum, quam Declarationem ad acta  
 retulere: quoniam vero Achilles inter  
 alia etiam insinuasset, quod vi Regii e-  
 dicti Doctorum libros ac scripta exami-  
 nandi jus sibi competeret, inde exacer-  
 bati Sorbonæ Doctores novo ac pror-  
 sus inutili oneri illos subjici, eorumque  
 immunitates violari querebantur, quo-  
 circa iterato conventu ac consultatione  
 habita Regi supplicabant, quatenus Fa-  
 cultatem Theologicam ab hujus edicti  
 rigore eximere, & pristina confidentia  
 honorare dignaretur; interim vero Sor-  
 bona Regis edictum ad acta referri di-  
 stulit, quo comperto Parlamentum Do-  
 ctoribus, ne ullos haberent conventus,  
 interdixit, inde vero territi centum se-  
 xaginta tres Doctores Regis voluntati  
 plene obsequi promiserunt.

Longe gravius bellum huic decla-  
 rationi indixere Catholici Doctores in  
 Germania, Italia, Hispania, Hunga-  
 ria, Belgio, omnibusque extra Galliam  
 Catholici Orbis partibus, ac præprimis  
 Gnesnensis Archiepiscopus in Polonia  
 calamum contra eam strinxit, & Geor-  
 gius Strigoniensis Archiepiscopus Regni  
 Hun-



Sæc. XVII. Hungariæ Primas, natusque Papæ Le-  
 A. C. 1682.

gatus convocatis omnibus Hungariæ Præfulibus Synodum Nationalem celebravit, in qua *Ecclesiæ Gallicanæ decreta discussit, propositiones interdixit, proscripsit & prohibuit, ut quæ a Christianis auribus absurdæ ac plane detestabiles, atque a Sathanz Ministris disseminatæ, blandæ pietatis specie schismaticum virus insillent.* Insuper Nicolaus du Bois Primarius S. Literarum in Lovaniensi Universitate Professor librum edidit: sub titulo: *Ad Ill. & R. R. Gallicæ Episcopos disquisitio Theologico - Juridica super declaratione Cleri Gallicani &c.* in qua demonstratum ibat, ab Episcopis Gallicanis minime fuisse discussos Patres, ac Canones, ad quos in hac declaratione fit relatio, sed simpliciter allegantibus creditum sibi persuadere: Eodem quoque anno quidam Anonymus edidit librum, qui inscribitur *Doctrina, quam de Primatu, auctoritate & infallibilitate Romanorum Pontificum tradiderunt Lovanienses S. Facultatis Magistri ac Doctores tam veteres quam recentiores & declarationi Cleri Gallicani nuper editæ opposita.* In hoc libro Author hanc declarationem damnat, ut quæ faveat hæreticis, Romanum Pontificem dignitate Primatus divina ordi-

natio

*Disq. Art. 9.  
 p. 44. &  
 art. 4. p. 21.  
 & seqq.*



natione constituti exuat, & Sedem Apo-  
 stolicam labefactet. Eamdem quoque præ-  
 ter alios quamplurimos solidissime im-  
 pugnavat Cardinalis Sfondrati in sua  
*Gallia vindicata*, ac derique in omnibus  
 Hispanicis, Germanis, & Italis Colle-  
 giis atque Academijs Gallicæ proposi-  
 tiones non fegniore Zelo passim fuerunt  
 impugnatæ, quam ab aliquibus in Fran-  
 cia propugnatæ, quamvis nostro ævo  
 etiam extra Gallias non sine applausu  
 adoptentur.

## §. VI.

*Patris Malagolæ Dominicani Theses  
 contra Cleri Gallicani articulos.*

Eodem hoc anno Pater Franciscus  
 Malagola ex Ordine FF. Prædica-  
 torum Sorbonæ Baccalaureus Parisiis  
 in suo Collegio Theses propugnabat qua-  
 tuor Cleri Gallicani articulis adversas:  
 Id jamjam adeo piaculare erat, ut Sor-  
 bonæ Doctores novæ doctrinæ addicti  
 ad arma conclamarent, frigescente ta-  
 men adhuc Curix Senatū, fors, quod  
 domesticæ concertationis libertatem a-  
 dimere nollet, vel quod Author minori  
 valeret gratia: Cum autem Sorbonæ  
 Doctores doctrinam in Dominicani libro  
 contentam palam impugnare auderent,  
 Facultatis Syndicus Edmundus Pirotus  
 sal-

Sæc. XVII.  
 A. C. 1682.

*Argentre  
 Coll. Jud.  
 t. 3. p. 14.*



Sæc. XVII. faltem dedicationis inſcriptionem ſug-  
A. C. 1682. gillare aggreſſus eſt: Igitur die quarta  
 Novembris in publicis Sorbonæ comi-  
 tiis expoſuit, quod Malagola ſuum li-  
 brum nuncupavit D. Petro *tanquam Dei*  
*Vicario* cum hac inſcriptione: *Omnia*  
*liganti & ſolvènti ſuper terram & in cælis,*  
*id eſt, tenenti apicem utriusque poteſtatis,*  
 inſolitum id autem foret, eoquod Chriſti  
 quidem, quatenus homo non eſt ubi-  
 que, Vicarius paſſim nuncupetur Pon-  
 tificex, non autem Dei, qui ubique eſt,  
 nec ullo vices gerente indiget, Vica-  
 rius appellari poſſit; de cetero tamen  
 ipſe de nomine litem facere non inten-  
 deret, cum quicquid Chriſti eſt, hoc  
 & pro Divini ſuppoſiti ratione Dei eſſe  
 intelligatur, merito autem Malagola  
 carpendus ſit ob appoſita hæc verba:  
*omnia liganti &c.* & propter additam  
 epigraphen, qua ſe *Inquiſitionis ſacræ*  
*Equitem* nominaveſſet. Inſuper Syndicus  
 retulit, quod Malagola a P. Dominico  
 Tabault Priore, & Chauſſemero Ex-  
 provinciali admonitus, ut theſis ſuæ  
 titulum emendaret, ipſe de eo appoſito  
 ac de perturbata Domus pace ſe qui-  
 dem dolere, a doctrinæ tamen expoſi-  
 tæ veritate haud poſſe recedere aſſe-  
 ruerit, ſed conſtanter defenderit, quod  
*Papa altum habeat in temporalia æque ac*  
*in ſacra dominium, eique quilibet Rex ut-*  
*roque*



roque ex capite subdatur: cum autem ei-  
dem Syndicus opponeret, hanc doctrinam esse contrariam Facultatis Decreto, quod ipse toties juramento firmasset, ipse subridens responderit, se Tolosæ ad Inquisitoris Ordinem promotum fuisse, ac sanctiore juramento adstrictum, ut Pontificis auctoritatem propugnaret. Ad hæc Syndicus hanc revocationis formulam Dominicano proposuit: *Profiteor titulum meæ Theseos Pontificiam auctoritatem ita extollere in Petro, ut teneat apicem utriusque potestatis, non alio esse pacto intelligendam, nec alio recte defendi posse, quam si de iis locis sermo sit, ubi summus Pontifex ditionem habeat temporalem, alibi quippe agnosco lubens Reges supremos soli Deo subesse suis in temporalibus, nec in illos eatenus ullum jus esse summo Pontifici, quo vel eos Regnis suis spoliare valeat, vel eorum subditos, Sacramento fidei, quo erga ipsos vincti sunt, ulla in occasione solvere.*

Sæc. XVII.  
A. C. 1682.

Renuente autem Malagola huic formulæ subscribere, atque D. Thomæ Auctoritatem obtendente, Syndicus coram Facultatis Doctoribus exposuit, quod hic non agatur de doctrina D. Thomæ, cum duntaxat loquatur de iis Provinciis, ubi Papa simul est Dominus temporalis, aliunde vero sententia D. Thomæ non sit quasi fidei norma, sed  
atten-

In 2. d. 44.  
q. 2, a. 1.  
ad 2.



Sæc. XVII. attendendum sit Facultatis decretum,  
A. C. 1682. vi cuius sententia de duplici hac Pon-  
 tificis potestate jam in P. Sanctarello  
 olim damnata fuisset, nunc vero sum-  
 mopere Sorbonæ injuriosum foret, si  
 hæc Thesis jamjam in Italiam missa, cre-  
 deretur veluti Parisiis annuente Facul-  
 tate promulgata. Percepta Syndici re-  
 latione Facultas Dominicanum vocari  
 jussit, eique injunxit, ut juxta Facul-  
 tatis decreta profiteretur, Reges su-  
 premos soli Deo in temporalibus esse  
 subjectos: respondente autem Malagola,  
 Decreta Facultatis non esse vere decre-  
 ta, utpote Patrum doctrinæ adversa,  
 Facultas ex quorundam Doctorum ju-  
 dicio hanc censuram contra ejus The-  
 sin die septima Decembris pronuntia-  
 vit: „Doctrinam hanc, qua Malagola  
 „Baccalaureus verba Christi potestatem  
 „ligandi & solvendi Petro & successori-  
 „bus ejus tradentis explicat de utraque  
 „sæculari & Ecclesiastica, declaravit in  
 „idem incidere cum ea, quam olim in  
 „Sanctarello facultas ipsa damnavit,  
 „eamque jam totidem nominibus dam-  
 „nandam censuit tanquam novam, fal-  
 „sam, erroneam, verbo Dei contra-  
 „riam, Pontificiæ dignitati odium con-  
 „ciliantem, schismati occasionem præ-  
 „bentem, supremæ Regum auctoritati  
 „a Deo solo dependenti derogantem,  
 „Prin-



„Principum infidelium & hæreticorum Sæc. XVII.  
 „conversionem impediendam, pacis pu- A. C. 1682.  
 „blicæ perturbativam, Regnorum, sta-  
 „tuum; Rerumque publicarum everfi-  
 „yam, subditos ab obedientia & sub-  
 „jectione avocantem, & ad factiones,  
 „Rebelliones, seditiones, & Principum  
 „parricidia excitantem. Nec intendit  
 „facultas probare alia omnia, quæ in  
 „Theosophia titulo habentur, in quo  
 „nimirum quædam sunt sacræ Scripturæ  
 „dicta S. Petro, seu successoribus ejus  
 „a respondente baccalaureo accommo-  
 „data, quorum accommodatio non  
 „probe intellecta decretis facultatis offi-  
 „ceret. Ipsum vero fratrem Malagolam  
 „ab ordine Theologico penitus proscri-  
 „psit, & e baccalaureorum suorum albo  
 „expunxit tanquam perjurum, seu in-  
 „fracti, quod non semel, ipso in facul-  
 „tatis aditu & in actuum celebratione  
 „præstiterat, Sacramenti reum, contu-  
 „meliosum in regiam Majestatem, Fa-  
 „cultatis & decretorum ab illa sancito-  
 „rum perficacem contemptorem, atque,  
 „ut iudicium hoc solemnius evadat, cen-  
 „suram cudendam decrevit, eamque  
 „typis excudi, publicique juris fieri vo-  
 „luit simul cum censura Sanctarelli,  
 „quam repetiit, ac renovavit. „

„Cæterum cum totum hoc nego-  
 „tium inde natum intelligeret, quod  
 „ti-

*Hist. Eccles. Tom. LXV.*

C

„ti-



Sæc. XVII. „titulus Theseos non fuisset, prius-  
 A. C. 1682. „quam prælo mandaretur, patefactus  
 „Syndico, qui eum haud dubie nun-  
 „quam tulisset; ne quid deinceps simile  
 „contingat, iussit ut antequam These-  
 „ullæ in lucem edantur, titulus dedi-  
 „cationis ad apicem & epigraphe, una-  
 „cum positionibus, seu assertionibus  
 „offerantur Syndico, nec quidquam  
 „publice prodeat quin ab eo lectum sit  
 „& probatum.

„Dum nihil ad Reipublicæ Christia-  
 „næ tranquillitatem magis conferat,  
 „quam ut facta sit & tecta utraque au-  
 „thoritas, Regia simul & Pontificia hoc  
 „Christi mandato religiose servato, red-  
 „dite quæ Cæsaris, & quæ sunt Dei Deo;  
 „tum merito sacra facultas theologica  
 „Parisiensis pro ea qua semper fuit ad  
 „fovendam Ecclesiæ pacem voluntate  
 „ac vigilantia nihil habuisse videtur an-  
 „tiquius, quam ut ea damnaret dog-  
 „mata, quæ alterutri potestati quod  
 „suum est, inviderent, hinc in Luthe-  
 „ranos, & in Antonium de Dominis  
 „Pontificiam, Regiam in Sanctarellum  
 „& alios vindicavit, docet in Luthera-  
 „nos unum esse jure divino summum in  
 „Ecclesia militante Pontificem, cui om-  
 „nes Christiani parere tenentur. In An-  
 „tonium de Dominis Romanam Eccle-  
 „siam jure divino auctoritatem habere  
 „in



„in alias Ecclesias; & esse in summo Sæc. XVII.  
 „Pontifice primatum jurisdictionis Pe- A. C. 1682.  
 „tri, cui solus ille eatenus succedit, a  
 „Christo collatum. Adversus Sanctarel-  
 „lum, supremam Regum authoritatem a  
 „Deo solo dependere, quorum in tempo-  
 „ralium dominium nemo jus ullum sibi  
 „possit arrogare. Hocque postremum  
 „Caput ea sæpe repetiit, imprimis in  
 „illa solemnè declaratione Regi christia-  
 „nissimo oblata An. 1663. qua sese sem-  
 „per obtulisse ait iis etiam, qui jus ali-  
 „quod vel indirectum in Regis christia-  
 „nissimi temporalia summo Pontifici ad-  
 „scriberent. „

„Est vero quod doleat facultas an-  
 „tiquam suam illo momento doctrinam,  
 „a qua nunquam sese recessuram esse, illo  
 „in publico instrumento est professà, ab  
 „uno e suis & suo quasi in sinu oppu-  
 „gnari hoc ipso, cui fidem ea obstrinxit  
 „Regnante Ludovico Magno, Regum  
 „omnium potentissimo, & de fide Ca-  
 „tholica optime merito. „

„Nimirum frater Franciscus Mala-  
 „gola Prædicator Italus, primi Ordinis  
 „Baccalaureus, ab ipsis suis fratribus  
 „conventus Parisiensis Prædicatoribus  
 „improbatus, & ad facultatem de-  
 „latus, sua in thesi, quam sancto  
 „Petro dicabat, præter titulum  
 „quem publicum esse voluit, habuit &



Sæc. XVII., occultum alterum, in quo utriusque  
 A. C. 1682., potestatis Ecclesiasticæ & sæcularis apicem sancto Petro adscribebat, & de  
 hac duplici autoritate ligandi & solvendi potestatem explicabat his verbis, quibus suum claudebat elogium, omnia liganti & solventi super terram & in cælis, id est, tenenti apicem utriusque potestatis. Rem nonnisi actu jam celebrato accepit facultas ex M. Edmundo Pirot Syndico suo frequentibus comitiis ordinariis, post missam de sancto spiritu, pro more habitis die quarta Novembris An. 1682. cujus audita relatione reum quoque audire voluit, qui pertinaciter coram toto conventu titulo suo stetit, explicare pergens, ut scripserat, potestatem ligandi & solvendi Petro a Christo traditam de utraque potestate spiritali & temporalis. Cumque hoc ipsum esse deprehensum sit, quod olim in Sanctarello damnatum fuerat, cujus in quibusdam capitibus collectis, & censura proscriptis, ultimum istud habeatur, quod ille explicaret verba Christi, quodcumque ligaveris super terram & non tantum de potestate spiritali, sed etiam de temporalis. Facultas id iisdem nominibus in fratre Malagola percutiendum censuit, quibus & olim ipsa percuisset in Sanctarello.



„rello, censuramque Sanctarelli quam **Sæc. XVII.**  
 „repetiit ac revocavit, ad verbum se- **A. C. 1682.**  
 „cuta, doctrinam hanc, quæ potestatem  
 „ligandi & solvendi interpretatur de  
 „utraque potestate spiritali & temporali,  
 „improbavit & damnavit, tanquam no-  
 „vam, falsam, erroneam, verbo Dei con-  
 „trariam, Pontificiæ dignitati odium  
 „conciliantem, schismati occasionem  
 „præbentem, supremæ Regum autho-  
 „ritati a Deo solo dependenti derogan-  
 „tem, Principem infidelium & hæreti-  
 „corum conversionem impediens, pa-  
 „cis publicæ perturbativam, Regnorum,  
 „Statuum, rerumque publicarum ever-  
 „sivam, subditos ab obedientia & sub-  
 „jectione avocantem, & ad factiones,  
 „rebelliones, seditiones, & Principum  
 „parricidia excitantem.

„Ipsam vero Fratrem Malagola, qui  
 „doctrinam hanc in Sanctarello proscri-  
 „ptam rursus excitare molitus est, tan-  
 „quam perjurum, seu infracti, quod non  
 „semel in ipso facultatis aditu & in  
 „actu suorum celebratione præstite-  
 „rat, Sacramenti reum, contumeliosum  
 „in Regiam majestatem, facultati &  
 „Decretorum ab illa sancitorum perfu-  
 „dum contemptorem, e baccalaureo-  
 „rum albo expunxit, eum nunquam  
 „postea numerari voluit inter suos, ejus-  
 „que nomen ubicunque legi posset suis



Sæc. XVII. „in tabulis, aut commentariis eradi  
 A.C. 1682. „jussit: Censuram ipsius cum censura  
 „Sanctarelli, quamprimum typis ex-  
 „cudi publicisque juris fieri mandavit.

## §. VII.

*Felicis Buchy theses pro Cleri Galli-  
 cani doctrina.*

*Hode loc. cit.  
 Bibl. Carmel.  
 t. I. p. 466.*

**H**aud minores tumultus Romæ con-  
 citabat Felix Buy alias Buhy Gal-  
 lus, Cabillonensis Carmelita ac Sorbonæ  
 Doctor: Hic jam anno priori die quarta  
 Decembris omnium primus Præside  
 Magistro Joanne Gerbailio per sex ho-  
 ras in publica disputatione Cleri Gal-  
 licani propositiones sustinuit, ac præci-  
 pue Parisiis has theses propugnavit: *le-  
 gibus Ecclesiasticis Papam esse subiectum;  
 eum nec semper dispensare posse in Canonibus,  
 nec ab eo Reges deponi, nec imponi tribu-  
 tum Clerico Gallicano posse: Episcopos  
 suam jurisdictionem habere a Deo, Facul-  
 tatem Theologicam Parisiensem parum cau-  
 rare, utrum Papa sit infallibilis, aut supra  
 Concilium, ac denique jus Regalium non  
 esse usurpationem nec chymeram.* Hæ The-  
 ses missæ fuerunt Romam unacum de-  
 fendentis responsionibus, quæ adhuc  
 magis Romanam Curiam offendebant,  
 quam ipsæ theses. Paulopost Lubelli-  
 nio Carmelitarum Maubertinorum Priori



a Commissario Generali injunctum, ut **Sæc. XVII.**  
 Buhyum comprehendi curaret, eique **A. C. 1682.**  
 insinuaret, quod per sententiam ab In-  
 nocentio XI. latam interdicto subjectus  
 esset. Hujus decreti rumor brevi  
 ad Parlamentum delatus est, quo ur-  
 gente Franciæ Rex hoc anno die vige-  
 sima quinta Januarii præfato Priori se-  
 vere inhibuit, ne hanc interdicti pœnam  
 exequi auderet. Parendum erat Re-  
 gis mandato, ut igitur novis tumulti-  
 bus fomes subtraheretur, discedere jus-  
 sus est Buhyus Lugdunum, qui tamen  
 ibidem in Metropolitana Ecclesia ad S.  
 Joannem ex Cathedra non quidem sine  
 unanimi omnium applausu, interdicto  
 tamen irretitus ad populum dixit, quo  
 comperto ejus Superiores illum tan-  
 quam Virum inobedientem, ac censuræ  
 Pontificiæ contemptorem condigna pœ-  
 na mulctare decreverant, eodemque  
 tempore seu feria secunda post Domini-  
 cam Passionis Romæ Pontificias acce-  
 perunt literas, quibus Pater Buhyus  
 omnibus privilegiis Regularium per sum-  
 mos Pontifices concessis exutus, inca-  
 pax ad munia Ecclesiastica, omnique  
 suffragiorum jure privatus a Papa de-  
 nuntiabatur, indicta Superioribus ana-  
 thematis ac suspensionis pœna, si huic  
 sententiæ obluſtari, vel ejus executio-  
 nem impediri permitterent. Hoc Pon-  
 tificis



Sæc. XVII. tificis decretum in publico Fratrum con-  
 A. C. 1682. fessu prælectum Superiores Carmelite  
 die quarta Aprilis ad acta retulerunt.  
 Paucis vero interpositis diebus Achil-  
 les Harlæus Regius Procurator Parla-  
 mento libellum supplicem porrexit, in  
 quo hunc Religiosum injuste damnatum  
 declaravit, eoquod nil ab usu Regni, nil  
 „ab Evangelio, Conciliis, antiquis Pon-  
 „tificum & Patrum decisionibus alie-  
 „num propugnasset, his addidit, con-  
 „demnationem Pontificiam Inquisitio-  
 „nis speciem præferre in Regnum ne-  
 „quiter invehendæ, hunc Religiosum,  
 „utpote Regis subditum, non posse ju-  
 „dicari, nisi coram suis Superioribus in  
 „Francia, saltem in *prima*, ut vocant,  
 „*instantia*, censuram thesium pertinere ad  
 „Facultatem Theologicam & Archiepi-  
 „scopum Parisiensem, si quid fidei or-  
 „thodoxæ contrarium credatur, ad cu-  
 „riam vero, si jura Regis, politica, aut  
 „Regni leges violentur. Pontifices  
 „nunquam eam sibi spartam vindicasse: „  
 His pluribusque aliis in Senatu propo-  
 sitis, Achilles mox Maubertinorum Car-  
 melitarum Priorem accersiri postulabat,  
 ut de gestis hac in re rationem redde-  
 ret, suumque librum, in quo Capituli  
 acta inscribuntur, mox secum asserret.  
 Biduo post Prior cum duobus Sociis  
 comparet, atque interrogatus, cur sese  
 Regiæ



Regiæ voluntati opposuisset, respondit, Sæc. XVII.  
A. C. 1682.  
se Regi penitus subjici, ab eo autem  
minime prohibitum, ne suo Conventui  
redderentur literarum Roma missarum  
fasciculi, quos si privata auctoritate su-  
pressisset, obedientiam summo Pontifici  
denegasset, nec Regi satisfacisset, impe-  
rata Romæ suos Religiosos non latuisse,  
jam occulte murmurantes, quod hæc  
ipsis pro more non communicarentur,  
non sine magna prudentiæ carnis ac  
privati affectus suspicione: inde vero  
se incitatum fuisse, ut Commissarii Ge-  
neralis literas remitteret suis Religio-  
sis, easque ad acta referri curaret:  
quoniam vero Capituli librum non at-  
tulisset, caussatus, in eo arcanas Reli-  
giosorum causas contineri, tamdiu in  
Curia detentus fuit, donec alius Car-  
melita illum Harlæo exhibuerat. Die  
autem decima quarta ejusdem Mensis  
ex Regis jussu Pater Prior ceterique  
Superiores a Dionysio Talonio Regia-  
rum causarum Patrono acriter repre-  
hendebatur, quod Pontificias literas in  
suo Conventu promulgarint, illasque  
exequi fuissent ausi, cum tamen scirent,  
nullum decretum exterum publicandum  
esse in Galliis, nisi prius a Parlamento  
fuerit recognitum: postea Regii Sena-  
tus decretum Carmelitis traditum, vi-  
cujus eisdem sub poena amittendi bona  
C 5 tempo-



Sæc. XVII temporalia ac privilegia a regibus concessa injunctum, ut Buhyus sine mora ad Cathedram Theologicam ac penitus in integrum restitueretur, hancque ob causam illico Superiores unacum præfato P. Buhyo Parisiensem Archiepiscopum accederent, ut ab eo Buhyus ad congrua Diæcesis suæ munia obeunda admitteretur. Prælecta hac sententia supremus Curiae Præses Patrem Priorem quidem de neglecto Regis Imperio admonuit, absque ulla tamen verborum acrimonia, imo dolorem haud obscure testatus, quod in illa temporum iniquitate, qua omnis Romanæ Curiae obloquendi occasio avidè prenfaretur, scenam hanc viro tam gravi oppido molestam agere coactus esset, *nil amplius superaddam, inquiebat, vel minima exprobratio viro tuæ professionis probo acerba nunquam non exstat; ad ministerium tuum abi, & fac, ut vita tua sit obedientiæ, sicut pietatis exstitit exemplar.* Præterea Senatus non modo Carmelitis, sed omnibus aliis etiam Religiosis inhibuit, ne ullum decretum, aut suorum Generalium extra Franciam degentium mandatum, si non concernat ordinariam domus disciplinam, exequantur, sine Regiis literis desuper acceptis.



Sec. XVII.  
A. C. 1682.

§. VIII.

*Cleri Gallicani querelæ ob Innocen-  
tii XI. Papæ Bullas contra Rega-  
liæ extensionem emanatas.*

Defervescente Gallicas propositiones *Regal. Sa-  
impugnandi ardore, Cleri Galli- cerd. p. 64*  
cani Præsules haud decoquere pote-  
rant, quod Pontifex Regaliæ negotio  
fese tam imperterritè contra eorum de-  
cisiones opponeret, necnon prætensi  
hujus juris Patronos vocasset *perditio-  
nis filios*, & Archiepiscopum Tolosa-  
num anathemate perculisset: eapropter  
dolori suo lenimen quæsituri, hoc an-  
no querulas literas die sexta Maij Pâri-  
siis, ad Innocentium Papam dederunt  
hujus tenoris: „Quantum olim a Ma-  
„joribus nostris sedi Apostolicæ dela-  
„tum est, tantum nos, qui honoris fa-  
„cerdotalis Successores, patrique ani-  
„mi hæredes sumus, vestræ Sanctitati  
„debere, solemniter profiteamur; neque  
„id modo, quod vestra Beatitudo in  
„præcelso editoque Ecclesiæ loco posita  
„est, sed & quod illam videmus singu-  
„lari pietate & Religione summa, loci  
„auctoritatem exæquare. Cum enim  
„Petri Cathedram ea, qua debemus  
„veneratione prosequimur, & pariter  
„nobis ante oculos proponimus virtutes  
„exi-



Sæc. XVII. „eximias, quibus V. S. ornata est, se-  
 A. C. 1682 „veritatem scilicet institutorum, stu-  
 „dium amplificandæ Ecclesiæ, constan-  
 „tem retinendæ veteris disciplinæ sen-  
 „tentiam, quotidianam sollicitudinem  
 „omnium Ecclesiarum, obfirmatam non  
 „acquiescendi carni aut sanguini volun-  
 „tatem, non possumus non admirari,  
 „& summam in honoribus gloriam &  
 „parem in moribus disciplinam. Hæc  
 „& alia, quæ sane magna sunt, ma-  
 „gnam de Vestro Pontificatu spem omni  
 „Ecclesiæ injecerunt; quisque statim  
 „vestri nominis merita deprædicare,  
 „sibi quisque polliceri cæpit, fore, ut  
 „summo Pontifice Innocentio XI. Ec-  
 „clesia Provincias reciperet, quas Pa-  
 „trum nostrorum memoria hæresis ab-  
 „stulerat, & fides Romana prolatis longe  
 „finibus amissam recuperaret possessio-  
 „nem. Ea spes Orbis Christiani fuit,  
 „eaque opinio hic magis apud nos in-  
 „valuit, quod paribus votis, & simili  
 „animorum consensione cum Vestra  
 „Sanctitate conveniret Rex Christianis-  
 „simus, qui, qua Religione, & qua  
 „præditus est potentia, impietatem di-  
 „sturbare, solusque inter Principes Chri-  
 „stianos domitam hæresin Romanis sub-  
 „jicere fascibus potest; neque frustra  
 „est hæc expectare ab invictissimo Prin-  
 „cipe, qui jam non minus religione,  
 „quam



„quam armis magni Nomen implevit. Sæc. XVII.  
 „Ille domi hæresis tanquam alicujus A. C. 1682.  
 „hydræ innumera capita edictorum pon-  
 „dere oppressit: Ille jam pridem foris  
 „subactis Provinciis & civitatibus ex-  
 „pugnatis, Romanæ Ecclesiæ religio-  
 „nem intulit, & nuper in Argentora-  
 „tensem civitatem, stupente Europa,  
 „& frendente hæresi fidem ab exilio  
 „reduxit, expiatoque Dei Sanctuario,  
 „signa Catholica sacris affixit postibus,  
 „quos tot annis hæreticorum polluerat  
 „impietas. Hæc Christianissimus Rex,  
 „cujus spectata virtus, summa in rebus  
 „gerendis prudentia, in exequendis for-  
 „titudo admirabilis, magnitudo animi,  
 „Justitia, fides, Religio, tanquam sa-  
 „gittæ in arcu brachii potentis, ad tol-  
 „lendam hæresin, delendum menda-  
 „cium. Cum hæc inter Sanctissimum  
 „Pontificem, & Regem Maximum in-  
 „credibilis esset virtutum & volunta-  
 „tum conspiratio, quid aliud nos augu-  
 „rari oportebat, quam fidei victorias,  
 „& gloriam Ecclesiæ. Verumtamen  
 „Beatissime Pater, hæc contra omnium  
 „expectationem perversis quibusdam  
 „hominum improborum artibus inter-  
 „pellata fuere, vix præ dolore hæc me-  
 „minisse, nedum commemorare possu-  
 „mus. Etenim dum Rex Christianissi-  
 „mus pro sua pietate rem Ecclesiæ bene,  
 „&



Sæc. XVII., & feliciter gerit, ecce per Provincias  
 A. C. 1682., & civitates Galliarum literæ Aposto-  
 licæ divulgatæ sunt, quibus sacra Re-  
 gis Christianissimi Majestas offenditur,  
 acerbis minacibusque literis impeti-  
 tur ille Rex, Prædicator fidei, Defen-  
 sor Ecclesiæ, Reginum Præsul, Pa-  
 triæ Custos, Triumphator gentium:  
 convelluntur jura Regni, tolluntur sa-  
 cra Majorum nostrorum deposita, pul-  
 santur Ecclesiæ Gallicanæ libertates,  
 cæditur reverentia Sacerdotalis, Pro-  
 vinciarum, Ecclesiarumque privilegia  
 violantur, subvertitur jurisdictio Epi-  
 scoporum, perruptisque terminis, quos  
 Patres nostri constituerunt, ex anti-  
 qua Patrum nostrorum hæreditate im-  
 meriti dejicimur. Ingemuit, Beatif-  
 sime Pater, Clerus Gallicanus, cum  
 videret, contra Canonem Ecclesiasti-  
 cum & contra formam judiciorum con-  
 demnatum esse Illustrissimum Archi-  
 episcopum Tholosanum, exhorruit di-  
 strictum, & minitantem Capiti Collegæ  
 excommunicationis gladium, demum  
 contra fidem Concordatorum literæ  
 Pontificiæ absque Canonica causa  
 denegantur rite nominato ad Apamien-  
 sem Episcopatum; unde accidit, ut  
 non succurratur Ecclesiæ scissura labo-  
 ranti, quoniam non adest Episcopus,  
 qui & pro munere institutionis suæ  
 tol-



„tollat schisma, & dissidentes ad uni-  
 „tatem revocet.,”

Sæc. XVII.  
 A. C. 1682.

„Unde vero Beatissime Pater, tot  
 „& tantæ in nos irarum caussæ? quos  
 „olim unus ex Vestræ Sanctitatis Præ-  
 „decessoribus appellabat gentem fan-  
 „ctam, Regale Sacerdotium, populum  
 „acquisitionis, cui Deus israel bene-  
 „dixit. Nonne nobis eadem, qui Ma-  
 „joribus nostris fuit in summum Ponti-  
 „ficem devotio? Nonne erga Sanctita-  
 „tem Vestram reverentiæ, & obedien-  
 „tiæ obtestatio similis? idemque nos,  
 „quos illos olim ejusdem communionis  
 „vinculum Sedi Apostolicæ adstrictos  
 „tenuit? Dolemus, Beatissime Pater,  
 „nihilominus ex vestris literis in Eccle-  
 „sia seri discordias, cumque indies ma-  
 „lum ingravesceret, huic tandem ob-  
 „viam ire cæpimus habitoque generali  
 „Ecclesiæ Gallicanæ conventu in com-  
 „mune providere, ne quid detrimenti  
 „Christiana res caperet. Adivimus ita-  
 „que Regem Christianissimum, & qua  
 „legatione pro Christo fungimur, tan-  
 „quam Deo exhortante per nos, ob-  
 „secravimus, ne ex unius negotii caus-  
 „sa ædificationem Dei dissolvi sineret.  
 „Eum vero, Beatissime Pater, qui pa-  
 „scendi orbis gratia, gloriæ & magni-  
 „tudini suæ, quibus nihil fortissimo  
 „Principi pretiosius est, ultra modum  
 „fecit,



Sæc. XVII. „fecit, tranquillitati Ecclesiæ & felici-  
 A. C. 1682. „tati Sacerdotum nihil non condona-  
 „turum esse, rogationis nostræ eventus  
 „comprobavit „

„Quoniam vero paci & quieti Ec-  
 „clesiæ Gallicanæ, non modo in præ-  
 „sentiâ, sed etiam in posterum pro-  
 „spiciendum est, talia nempe præcesse-  
 „runt, ut similia, vel etiam graviora  
 „præcaveri oporteat: præmissis erga  
 „Sedem Apostolicam, quod decet, reve-  
 „rentiæ & obedientiæ officio impensius  
 „deprecamur Sanctitatem vestram, ne  
 „jam, privilegia, mores, & instituta  
 „Majorum convelli, aut minui patiatur,  
 „ea præsertim, quæ sacris Canonibus,  
 „& Patrum decretis stabilita nobis sem-  
 „per in honore & usu fuerunt, & quæ-  
 „cunque Ecclesia Gallicana auctoritate  
 „consuetudinis & vetustatis possessione  
 „defendit, idque eo ardentioribus vo-  
 „luntis exposcimus, quo nulla temporum  
 „interruptione nullaque definitione Pa-  
 „trum hac in re Ecclesiæ Gallicanæ  
 „derogatum est. Ejusmodi autem sunt  
 „Episcoporum judicia, quæ ex Patrum  
 „decretis, & ex moribus nostris in his  
 „partibus a nobis tractari, quin etiam  
 „interjectis ad Sedem Apostolicam ap-  
 „pellationibus finiri debent: ea quoque,  
 „quæ ad jurisdictionem Metropolitanor-  
 „um & Episcoporum attinent, jura  
 „Re-



„Regni, libertates Ecclesiarum, nego- Sæc. XVII.  
 „tia Ecclesiastica, quæ omnia intra li- A. C. 1682.  
 „mites Diæceseos Galliarum æstimari,  
 „agitari, & judicari condictum est.  
 „Prudentissime enim, & justissima, ut  
 „in simili prope negotio Patres Africani  
 „ad Cælestinum Papam scribebant, Ni-  
 „cæni Patres providerunt, quæcunque  
 „negotia, ubi orta, sint finienda, nec  
 „unicuique Provinciæ gratiam S. Spi-  
 „tus defuturam, qua æquitas a Christi  
 „Sacerdotibus, & prudenter videatur,  
 „& constantissime teneatur.

„Oramus itaque Sanctitatem ve-  
 „stram, omnibusque precibus obtesta-  
 „mur, ut suam, quam vestris Fratribus  
 „Deus tribuit portionem, intactam illi-  
 „batamque esse velit, ut paterna ani-  
 „ma suam Filiis hæreditatem sartam,  
 „tectamque custodiat, ut vulneribus Ec-  
 „clesiæ Gallicanæ Matris nostræ pia,  
 „& salubri eorum, quæ gesta sunt, ra-  
 „tione medeatur, nec intercessionem  
 „Cleri Gallicani minus æquis auribus  
 „accipiat, dum præsertim periculum  
 „est, ne quid dispendii res nostræ, no-  
 „bis tacentibus, patiantur. Neque hæc  
 „pro juribus nostris defendendis repen-  
 „tina supervenerunt subsidia: antiqua  
 „Majorum nostrorum documenta sunt,  
 „quæ ut hausimus ab iis, ea pariter  
 „hoc Ecclesiastici vigoris, & Sacerdo-  
 „Hist. Eccles. Tom. LXV. D „talis



Sæc. XVII. „talis animi exemplo, ad posteros trans-  
A. C. 1682. „mittimus. Quia etiam æmulamur sa-  
 „pientiam Patrum, qui in similibus  
 „caussis, simili modo suis institutis pro-  
 „viderant, neque id ægre tulisse sum-  
 „mos Pontifices Bonifacium, & Cæle-  
 „stinum, quin & hisce postremis tem-  
 „poribus Innocentium X. accepimus,  
 „speramus quoque, Beatissime Pater,  
 „fore, ut vestra Sanctitas æqui boni-  
 „que consulat hanc nostram contestan-  
 „dæ, & dirimendæ causæ rationem,  
 „ubi sine honoris erga vestram Sancti-  
 „tatem diminutione, sine ulla charita-  
 „tis offensione, decertata jura suis pos-  
 „sessoribus asseruntur. Nobis enim hoc  
 „inprimis de vestra Sanctitate pollice-  
 „mur, ut illa, cujus ad Pontificatum  
 „felix ortus, & læti dies fuerunt, cu-  
 „jus vita omnis virtutibus tanquam fau-  
 „stis syderibus fulget, amotis procul  
 „vel levium dissidiorum nebulis, tran-  
 „quillitatem Ecclesiæ Gallicanæ affe-  
 „rat, & serenitatem. Hoc omnium no-  
 „strum votum, & hoc cum Apostolica  
 „benedictione optant, expectantque.

*Sanctitatis Vestræ.*

*Obsequentissimi & devotissimi Filii,  
 ac Servi vestri,*

Archiepiscopi, Episcopi, aliique Eccle-  
 siastici Viri in comitiis Generalibus  
 Cleri Gallicani Parisiis congregati  
 Franciscus Archiepiscopus Pari-  
 siensis, Præses.

§. IX.



Sæc. XVII.  
A. C. 1682.

## §. IX.

*Cleri Gallicani Protestatio contra literas Innocentii XI. circa extensionem Regaliæ in Archiepiscopatu Tolosano.*

Nec his contenti Præsules, insuper *Noav. Recueil des Act. du Clergé.*  
 literis in Regno publicatis adversus omnes Papæ literas reclamabant, divulgato hoc diplomate „Ecclesia Gallicana suis se regit legibus, propriasque consuetudines inviolate custodit, quibus Gallicani Præsules Majores nostri nulla definitione, nullaque auctoritate derogatum esse voluerunt, & quas ipsi summi Pontifices agnoscere, & laudare ultro dignati sunt. Prope tamen est, ut perfringantur leges istæ, quas prisca Galliarum Religio, reverendaque vetustas inconcussas fecerunt. Ecce etenim, quod sine acerbissimo animi sensu dici non potest, hisce annis superioribus per Provincias & civitates Galliarum, literæ Apostolicæ disseminatæ sunt, quibus antiqua Gallicanæ Ecclesiæ jura, & patria instituta aperte violantur. Ex his intelligimus de Regni Ecclesiarumque nostrarum negotiis contra mores nostros usurpatam esse cognitionem, inauditis partibus pronuntiata Judicia,



Sæc. XVII. „cia, Jurisdictionem Episcoporum con- „  
 A. C. 1682. „culcatam, denique contra Canonem

„Ecclesiasticum, & contra nostras con- „  
 „suetudines Illustrissimæ Ecclesiæ Gal- „  
 „licanæ Metropolitano gladium excom- „  
 „municationis intentatum esse. „

„Dolet Clerus Gallicanus, queri- „  
 „turque ex his aliisque, quæ exinde „  
 „facta sunt, oppressas libertates Eccle- „  
 „siarum, perturbatam Ecclesiæ formam, „  
 „illatum dedecus Pontificali Ordini, „  
 „terminosque perruptos, quos Patres „  
 „nostri constituerunt. Et ne officium „  
 „& causam suam deserrere aut contra „  
 „suam dignitatem Ecclesiarumque sua- „  
 „rum commoda agere videatur, publica „  
 „contestatione obloqui, & inertis si- „  
 „lentii a se amovere culpam decrevit, „  
 „ut exemplo Patrum suorum imposte- „  
 „rum provisum sit, ne quid nocere pos- „  
 „sit juribus, & libertatibus Ecclesiæ „  
 „Gallicanæ, eoque magis inclinat in „  
 „eam sententiam, quod summus Pon- „  
 „tifex Innocentius XI. morum antiquo- „  
 „rum, & Canonice disciplinæ severus „  
 „exactor, non patietur fieri injuriam „  
 „decretis suorum decessorum & Cano- „  
 „nibus promulgatis, qui rescindebant, „  
 „quicquid subreptum contra privata „  
 „Provinciarum jura: nolebant siquidem „  
 „Ecclesiarum privilegia, quæ semper „  
 „servanda sunt, confundi. Propterea „  
 „idem



„idem Clerus Gallicanus, professus an-  
 „tea omnem reverentiam, obedientiam-  
 „que, quam semper exhibuit, perpe-  
 „tuoque exhibiturus est Cathedræ Pe-  
 „tri, in qua potentior agnoscit Prin-  
 „cipatum, coram D. Joanne Bapt. Lau-  
 „ra Protonotario Apostolico, & Nun-  
 „tiaturæ Apostolicæ Galliarum Audi-  
 „tore protestari constituit, sicut de facto  
 „protestatur per præfatas, ne literis  
 „Pontificiis datis ad Episcopum Apa-  
 „mensem die secunda Octobris anno  
 „Christi millesimo sexcentesimo octo-  
 „gesimo, necnon ad Ecclesiæ Apamien-  
 „sis Capitulum, eadem die & anno, ad  
 „Archiepiscopum Tolosanum die prima  
 „Januarii anno hujus sæculi octogesimo  
 „primo, & ad Moniales seu Canonissas  
 „Regulares Congregationis B. V. M.  
 „Monasterii de Charonna die septima  
 „Augusti, & decimo quinto Octobris  
 „anno supra millesimum sexcentesimum  
 „octogesimo vel aliis exinde, & illarum  
 „virtute actis & secutis quibuscunque  
 „damnum aliquod seu præjudicium Ju-  
 „ribus Ecclesiæ Gallicanæ fieri possit,  
 „neve quis hoc in aliis locis & tempori-  
 „bus in exemplum & auctoritatem tra-  
 „hat, ut antiquos Ecclesiæ Canones,  
 „avitas Regni consuetudines, receptos-  
 „que mores Ecclesiæ Gallicanæ oppu-  
 „gnare audeat, aut propterea quicquam

Sæc. XVII.  
 A. C. 1682.

D 3

„con-



Sæc. XVII. „contra sibi licere existimet. Imo vero  
 A. C. 1682. „nemo nesciat, hæc nihil obstare, quo-  
 „minus Canones, Consuetudines, Jura  
 „& libertates ejusdem Ecclesiæ pristi-  
 „nam vim, & integram auctoritatem  
 „retineant & custodiant.

„His Clerus Gallicanus sibi, suis-  
 „que Privilegiis cautum, consultum-  
 „que vult, & omnibus notum fieri cu-  
 „pit, ne quis ignorantix causam præ-  
 „textat. „

Datum Parisiis anno Salutis nostræ  
 millesimo sexcentesimo octogesimo se-  
 cundo die sexta Mensis Maij.

Huic protestationi subscripti erant  
 Præsules triginta tres, & triginta quin-  
 que alii Ecclesiastici.

## §. X.

*P. Cerlis Apamiensis Vicarii Generalis  
 epistola ad Innocentium XI.  
 Papam.*

*Sfondrat.  
 Gall. vind.  
 P. 327.*

**H**aud ignorabat summus Pontifex no-  
 vos hosce tumultus in Francia ex-  
 citatos, cum autem sua monita flocci  
 haberi cerneret, & acerbiore remedio  
 ulcus magis exasperari crederet, suam  
 indignationem unice ad hos limites re-  
 frinxerat, ut Episcopis, aliisque ad  
 Beneficia Regaliæ titulo promotis Apo-  
 stolicas confirmationis literas conce-  
 dere



dere recusaret: Hæc ipsa vero Pontificis moderatio non paucos offenderat, qui oppressæ immunitatis Ecclesiasticæ causam a Papa negligi criminabantur, hocque artificio illos, qui sese hucusque novo huic juri opposuerant, ad sua castra revocare satagebant: Hac de re Pater Cerles Apamiensis Vicarius ad omnes adversantium motus oppido intentus, Papam certiozem reddidit, die decima tertia Mensis Aprilis, datis ad eundem hisce literis: „Usquequo „& superbit impius, & incenditur pauper? ajebat olim ad Innocentium secundum scribens Divus Bernardus. „Usquequo a tanta impudentia Innocentia tanta vexatur, & hoc vivo Innocentio? Peccata sine dubio nostra hoc faciunt, quod Dominus meus tam sero advertit mentientes sibi, tam lente exaudit clamantes ad se, in hac causa duntaxat. Nam alias quidem scimus familiare esse Domino meo, & cito intelligere, & facile misereri. Propter eum qui elegit vos, & posuit vos refugium oppressorum, ponite jam tandem finem & malitiæ oppressoris, & laboribus afflictorum, quia satis utraque res venit in lucem & manifestationem.”

„Sic Abbas ille Sanctissimus cum suo omniumque Domino exoptulat,

D 4

„sic

Sæc. XVII.  
A. C. 1682.



Sæc. XVII. „sic illius cunctationem urget, sic ni-  
A. C. 1682. „mias in proferendo iudicio moras æ-  
 „gerrime ferre videtur. Absit, ut ego  
 „peccator tantum mihi apud Innocen-  
 „tium XI. tribuam, quantum Divus ille  
 „apud Innocentium II. fumere sibi au-  
 „sus est.

„Non reprehendo, non expostulo,  
 „non queror; doleo tantum illacrymor-  
 „que Ecclesiæ Apamiensi crudelissime  
 „divexatæ, octoginta aliis Ecclesiis sub  
 „jugum missis, tot vinctis, tot exuli-  
 „bus, qui cum Dei causa Vestro quo-  
 „que iudicio tot tantaque mala patian-  
 „tur, vere Christi Confessores sunt; de-  
 „nique duobus Episcopis, qui clamant  
 „ad vos non jam de terra, sed de cæ-  
 „lo, ut clamor eorum cælestis citius  
 „exaudiri debeat pro sua reverentia,  
 „jus hucusque esse negatum. Equi-  
 „dem si beneficium a tanto tempore po-  
 „stulatum fuisset, debueramus conse-  
 „qui, cum pro Vestra in omne homi-  
 „num genus benignitate, tum pro no-  
 „stris in defensione Evangelii susceptis  
 „laboribus atque periculis. Sed postu-  
 „lent beneficia, qui felices putantur:  
 „Nobis, qui miseri esse videmur, satis  
 „est, si id, quod tenuissimo cuique,  
 „quod hostibus debetur, quod nec bar-  
 „baris quidem nisi apud barbaros ne-  
 „gatur, jus consequimur.”

„Sane



„Sane si quod esset aliud in orbe Sæc. XVII.  
 „tribunal, in quo controversia ista diri- A. C. 1682.  
 „mi posset, eo profecto confugerem.

„Non quod putem in terris quidquam  
 „Sanctitate Vestra posse oriri justius aut  
 „melius; sed quod alii cuicumque po-  
 „tius quam optimo Parenti malim esse  
 „molestus. Sed Vestrum unius est,  
 „tam de negotiis Apamiensibus, quam  
 „de universa Regaliæ causa cognoscere;  
 „id quod cum per se patet, tum multis  
 „quoque scriptis demonstratum est: ita  
 „præterea Sanctitas Vestra censuit, cum  
 „Ecclesiæ Apamiensis provocationem  
 „admisit, ut secus sentire aut dicere, in-  
 „columni sanctæ Sedis fama non possit.  
 „Denique nullo graviori vulnere Eccle-  
 „siæ libertas autoritasque afficitur,  
 „quam cum istius causæ cognitionem  
 „Vobis, ac sanctæ sedi Regaliæ conan-  
 „tur eripere. „

„Habemus igitur in Sanctitate Ve-  
 „stra Judicem unicum, sed & optimum;  
 „reliquum est, ut velitis, quando qui-  
 „dem abunde valetis virtute irrumpere  
 „iniquitates. En stat coram vobis for-  
 „dida, afflicta, misera, bonis ac libe-  
 „ris spoliata, plurimis vulneribus con-  
 „fossa, denique vidua desolatissima Ec-  
 „clesia Apamiensis; aitque multum tem-  
 „pus, quod altera illa Evangelica vi-  
 „dua: *vindica me de adversariis meis.* An  
 „sar-



Sæc. XVII. „furdior erit immitiorque Judex Deo  
 A. C. 1682. „charus, hominibusque reverendus,  
 „quam fuit Judex ille iniquitatis, qui  
 „Deum non timebat, & hominem non  
 „reverebatur? Dei loco sedetis, Pater  
 „Sanctissime, facile ergo vindictam e-  
 „lectorum vestrorum clamantium ad  
 „vos die ac nocte nec ultra patientiam  
 „habeatis in illis. „

„Ferrem quidem æquo animo mo-  
 „lestissimas istas judiciorum moras, nisi  
 „idem esset causa cadere, ac judicium  
 „per longum tempus expectare. Ocius  
 „si non judicatur, damnatur: nam cum  
 „soliti sint adversarii suum omne præ-  
 „sidium in usu ac possessione collocare,  
 „jure obtinere se putant, quidquid diu  
 „ac nemine impediante tenent. Hinc  
 „fit, ut illo Vestro silentio, illaque cun-  
 „ctatione, quæ maxime optavere, ea  
 „consecuti videantur. Quis enim ne-  
 „farios eorum conatus comprimat?  
 „possessionem quis interpellet? Unus in  
 „sancta sede videbatur positus obex;  
 „at sancta Sedes dissimulat, filet, ex-  
 „pectat, cunctatur, facitque cunctatrice  
 „Sapientia, ut adversarius præceps de-  
 „mentia, cuncta quæ concupierat, ne-  
 „mine impediante obtineat. „

„Videtur fortasse Regaliæ impedita  
 „præscriptio per illas toties in Gallias  
 „missas Apostolicas literas, quibus  
 „San-



„Sanctitas Vestra fatis aperte censuit, Sæc. XVII.  
 „contra Ecclesiam facere, qui Rega- A. C. 1682.  
 „liam tuerentur. Sed iis literis quis  
 „nesciat fidem omnem, omnemque au-  
 „thoritatem esse ademptam? olim quip-  
 „pe furtivas falsasque prædicabant:  
 „modo alii veras quidem, sed ab ho-  
 „minibus hæreticis, ac nomini Gallico  
 „infestis, qua vi, qua fraude esse extor-  
 „tas, affirmant. Alii quocunque mo-  
 „do, quocunque consilio scriptas, ob-  
 „livioni tradendas esse: ita haud du-  
 „bie Sanctitatem Vestram sentire, quæ  
 „datis literis, cum maxime pernici-  
 „cursu processura videretur, repente ste-  
 „terit, Apamienses deseruerit, Rega-  
 „listis, utpote innoxiiis, ut optima caus-  
 „sa fultis, cuncta permiserit.,

„Hanc esse Sanctitatis Vestræ Sen-  
 „tentiam cum stulti omnes arbitrantur,  
 „tum cordati nonnulli timent, quem  
 „eorum timorem minime profecto mi-  
 „ramur. Hinc enim vident Regalistas  
 „non tabulis, non literis, ut res dubiæ  
 „solent, causam suam propugnare, sed  
 „vi maxima, atque armis tueri, tan-  
 „quam certissimum Regum nostrorum  
 „patrimonium, eosque, qui religione  
 „impediti turpissimum istud Regaliæ  
 „jugum pronis cervicibus non trahunt,  
 „ut apertos Regis Regniue hostes ha-  
 „bere, ac veluti Salicæ legis violato-  
 „ribus



Sæc. XVII. „ribus aqua & igni interdicere. Inde  
 A. C. 1682. „vero cernunt Innocentium XI. cujus  
 „est tantopere celebrata constantia, a  
 „quo singulis quibusve momentis per-  
 „niciem sibi metuebat improbitas, tanto  
 „sceleri hucusque pepercisse, & nedum  
 „tot Ecclesiæ malis solemnî decreto vo-  
 „luisse occurrere.,,

„Hæc dum intuentur, Beatissime  
 „Pater, quid putent? nisi Sanctitatem  
 „Vestram auditis, quæ in sui defensio-  
 „nem multa Regalistræ dixerunt, mu-  
 „tato consilio in aliam prorsus abiisse  
 „sententiam? sed nec turpiter decepti  
 „sunt, qui ista loquuntur, aut prædi-  
 „cant. Absit, ut reperiatur apud San-  
 „ctam sedem, est, non; nec erit sub  
 „vestro Apostolatu incolumis Regalia,  
 „quæ fuit in Investituris per sex sum-  
 „mi nominis æternæ memoriæ summos  
 „Pontifices Gregorium VII. Victorem III.  
 „Urbanum II. Paschalem II. Gelasium II.  
 „& Calixtum II. ut hæresis nefanda pro-  
 „trita: quam Paschalis ipse, qui fuit  
 „erga rerum humanarum Dominos pœ-  
 „nitenda mansuetudine lenis, Romano  
 „in Concilio, censuit esse contra *Spiri-  
 „tum Sanctum, & canonicam institutionem.*.,

„Hæc cum ita se habeant, ut quid  
 „Domine recessisti longe? despicias in  
 „opportunitatibus, in tribulatione? an  
 „putatis fore, ut possit vester aliquando  
 „Suc-



„Successor facilius tutiusque res istas  
 „componere, Ecclesiae vulneribus mi-  
 „nori cum periculo mederi? sed quis  
 „erit iste successor tam sui fidens, ut se  
 „Innocentio XI. praeponat? tam felix,  
 „ut in meliora tempora incurrat? tam  
 „denique fortis, ut quod monstrum  
 „Sanctitas Vestra nascens ac debile vix  
 „ausa fuerit perstringere; id ipse jam  
 „adultum jam auctis viribus formidan-  
 „dum non dubitet jugulare? sed velit  
 „ipse, quidquid nos Ecclesiae Dei opti-  
 „mum fore putamus; illine adversarii  
 „nostri parebunt, ejusque decreta re-  
 „verebuntur, facti tum de strage nostra  
 „feroces, de longa possessione superbi,  
 „de Vestro quoque exemplo in insequen-  
 „tes Pontifices pervicacissimi? „

„Ita est, Pater Sanctissime, sunt a-  
 „pud nos aliae multae, nec Regalia mi-  
 „tiores pestes, quae sub nomine liber-  
 „tatum Ecclesias nostras populantur.  
 „Quo vero ista defendentes sese umbo-  
 „ne clepunt? non alio profecto, quam  
 „invadentium usu, vel aversantium  
 „clade, summorum Pontificum silentio,  
 „quod silentium nutum ac voluntatem  
 „interpretantur. Exemplo sint Appel-  
 „lationes tanquam per abusum, illa non  
 „ita multo tempore in exitium totius  
 „Ecclesiasticae jurisdictionis exorta mon-  
 „stra. Dubia initio, tremula, paventia  
 „pro-

Saec. XVII.  
 A. C. 1682.



Sæc. XVII. „prodibant, & vel improbis non satis  
 A. C. 1682. „proba videbantur. Nunc vero quia  
 „siluit Roma, quia non obstitit, esse-  
 „runt in ipsam Romam audacissimum  
 „caput, sanctique videntur, quibus  
 „Apostolica fulmina pepercerunt. „  
 „Sunt, Beatissime Pater, qui exi-  
 „stimant, Sanctitatem Vestram Rega-  
 „liam propterea non rite damnasse, quod  
 „viderentur adversarii meliora suapte  
 „sponte iniisse consilia, ac bona fide  
 „pacem optare ac quærere. Id enim  
 „suadere videbantur, cum Eminentissi-  
 „mi Cardinales d'Estrées iter Romam  
 „susceptum, tum Episcoporum Conven-  
 „tus Parisiis habitus, maxime nupe-  
 „rum illud edictum, quo metæ modus-  
 „que non sine magno Ecclesiæ emolu-  
 „mento, ut quidam putant, Regaliæ  
 „posita sunt. Sed me miserum, quan-  
 „tum bellorum res istæ pacem pollicen-  
 „tes, pacem nuntiantes Ecclesiis Gal-  
 „licanis attulerint, afferentque impo-  
 „sterum? & quam longe ista, qui ege-  
 „runt, aut agenda summo Principi sua-  
 „serunt, ab omni vera pacis, veræque  
 „concordiæ cogitatione voluntateque  
 „abfuere? Unum est, fuitque semper  
 „illis consilium propositumque, ut om-  
 „nino tandem Regaliæ possessio in om-  
 „nes Regni Ecclesias induceretur, de-  
 „lusa interim Sanctitate Vestra, ne pro-  
 „lata



„lata sententia possessionem interturba- Sæc. XVII.  
 „ret. Deluso etiam Eminentissimo Car- A. C. 1682.  
 „dinali d'Estrées, quem huic simula-  
 „tioni consensisse suspicari non ausim. „

„Meminerit quæso Sanctitas Vestra  
 „(nam ea de re non unas ad Apostoli-  
 „cos pedes literas dedi) quo in statu  
 „fuerint res nostræ prædicto Eminen-  
 „tissimo Cardinali in Italiam profecto.  
 „Nam cum antea satis fuisset adversa-  
 „riis, spoliare nos bonis, cæpimus illo  
 „abeunte exilia, vincula, proscription-  
 „nes, ac alia quæque acerba pati. Quid  
 „plura? In animas quoque sævitum est,  
 „dum cogimur passim sceleri assentiri,  
 „sacrilegis sociari, summi Pastoris vo-  
 „cem, minas, anathemata contemne-  
 „re. Sic pacem cogitabant, qui Emi-  
 „nentissimum Purpuratum Romam mit-  
 „tendi authores Regi fuerunt.

„Quid dicam de Sacrosanctis Epi-  
 „scopis Lutetiæ congregatis, quibus  
 „adeo non fuit animus malis nostris  
 „medendi, ut a nemine Ecclesiæ no-  
 „stræ lethalius vulnus acceperint. Qui-  
 „bus singulis Ecclesia merito dixerit:  
 „*Tu autem homo pacis meæ in quo speravi,*  
 „*qui edebas panes mecum, magnificasti super*  
 „*me supplantationem.* Quid enim est iste  
 „Conventus tam fraudulenter, tanto-  
 „que omnium Canonum contemptu co-  
 „actus, tam scenica pompa habitus,  
 „tam



Sæc. XVII. „tam aulæ studiis addictus, tam segni-  
 A. C. 1682. „ter Episcopi nostri, Aleſtensisque, sed  
 „Vestræ præsertim Sanctitatis constan-  
 „tiam æmulatus, tam misere veteres  
 „omnes Galliam inter & Romam con-  
 „troverſias, sopitas jam pridem, ex-  
 „tinctasque renovans; tam proditorie  
 „Regaliæ consentiens, tam inaniter Vo-  
 „bis scribens, tam denique Cleri Gal-  
 „licani antiquæ gloriæ, ac in Sanctam  
 „sedem observantiæ immemor: quid,  
 „inquam, est iste Conventus, quam  
 „Ecclesiæ magnifica supplantatio?

„Cumque supplantatores isti Eccle-  
 „siam perdiderint, tamen uti de re bene  
 „gesta gloriantur: pacem loquuntur,  
 „pacem suadent, pacem in Epistola ad  
 „Sanctitatem Vestram scripta ambitiose  
 „prædicant: quasi non simili voce usi  
 „sint etiam, qui insigniores Ecclesiæ  
 „clades intulerunt. Quid enim aliud  
 „excusabant Sirmienses Episcopi con-  
 „clamata fide? Mediolanenses jugulato  
 „Athanasio? Ariminenses proscripto  
 „Homouſio? Et ut temporibus viciniora  
 „simul & rebus nostris magis affinia lo-  
 „quar, quid excusabant Londinenses,  
 „Thoma Cantuariensi in Ecclesiæ defen-  
 „sione solo omnino relicto, præterquam  
 „studium pacis, difficilia tempora, ma-  
 „gnos Reges demerendos?

„Vi-



„Videntur mihi Episcopi nostri non Sæc. XVII.  
 „alia ratione pacem quærere, quam A. C. 1682.  
 „quæfissent Seniores populi Israel, si Rege

„ipforum vineam Naboth, quæ figura  
 „est Ecclesiæ per sæculares potestates  
 „spoliatae, cupiente invadere, Naboth  
 „vero tradere renuente, dissidium istud  
 „componentes, ita pronuntiafissent: *Vi-*

*neam obtineat Rex, ut faciat sibi hortum  
 „olerum, quia vicina est, & prope domum  
 „suam. Tu vero Naboth collige excisas vi-*  
*tes, & ubi creverint olera, paucula quæ-*  
*dam vilioraque ab hortulano regio accipito.*

„Quæ futura fuisset populo Dei de præ-  
 „claro illo iudicio mens & Sententia?  
 „Nonne in iudices illos tanquam in la-  
 „trones atque sicarios animadverten-  
 „dum esse censuisset?

„Sic tamen omnino fecisse videntur  
 „Episcopi nostri; capiat, inquit, Ec-  
 „clesia solatiolum quoddam in Capitu-  
 „lis & Beneficiis curam animarum ha-  
 „bentibus. In cæteris vincat Rex, ser-  
 „viant octoginta Ecclesiæ ad hoc usque  
 „tempus liberæ, Henriciana hæresis in-  
 „tacta maneat, quidquid Regalistarum  
 „libido cogitavit, aut finxit, ratum e-  
 „sto. O perversum, o turpe iudicium,  
 „quod qui tulerunt, tanto majori re-  
 „prehensione digni sunt, quod imperat  
 „nobis gratia Christi, non Achab aliquis,  
 „non Phocas, non quispiam eorum Re-  
 „gist. Eccles. Tom. LXV. E „gum,



Sæc. XVII. „gum, quos olim vel Germania, vel  
 A. C. 1682. „Anglia in Ecclesiasticæ libertatis per-  
 „niciem genuerunt; sed Rex plurimum  
 „mansuetus, maxime in Religionem  
 „propensus, justitiæ amantissimus, neo  
 „non optime cujuscumque consilii cu-  
 „pientissimus. Cui cum unus Episco-  
 „rum (ita enim fertur) adulando dixit  
 „set: *Facturum se in conventu, quæcumque*  
*Regi libuissent. Tu vero, inquit Rex, da*  
*operam, ut Episcopus sis, verum rectum-*  
*que suade: amabo te, si Deum plus cunctis,*  
*plus me ipso amaveris.*

„Quod Regis admonitum sanctissi-  
 „mum sapientissimumque, si uti par erat,  
 „audissent Episcopi, nonne ille potius  
 „Regaliam perpetuis tenebris, æterno-  
 „que silentio damnasset, quam servitu-  
 „tem Ecclesiæ novo edicto firmiter vali-  
 „diusque sanxi flet. Est enim illud edi-  
 „ctum, Pater Sanctissime, malorum no-  
 „strorum non levamen, sed cumulus,  
 „quo unum aut alterum in speciem qui-  
 „dem, & ad tempus dumtaxat depelli-  
 „tur incommodum, ut cætera, quæ in  
 „Regalia sunt innumera, plus roboris  
 „ac firmamenti habeant, iisque æter-  
 „nitas quædam accedat. Est enim ce-  
 „lebre Juris consultorum effatum, *ex-*  
*ceptionem firmare regulam.* Quare dum  
 „paucula excipit, cætera Rex firmissi-  
 „me statuit.

„Quæ



„Quæ autem ab ipsa exceptione plu- Sæc. XVII.  
 „rimum roboris accipiunt, fere sunt A. C. 1682.  
 „hæc: Coronam Regum rotundam, ro-  
 „tundam quoque postulare Regaliam,  
 „hoc est, nulla sui parte præcisam; sed  
 „cunctas, qua late patet regnum, Ec-  
 „clesias pervagantem: facultatem pa-  
 „trimonium Christi administrandi, sa-  
 „cerdotes altaribus admovendi, recto-  
 „res Ecclesiis præficiendi, dotem esse  
 „sceptro solioque ingenitam; quod quam  
 „hæreticum sit, jam sæpe diximus:  
 „plus auctoritatis habere reges in Ec-  
 „clesias vacantes, quam summum Pon-  
 „tificem, cui neque per resignationem,  
 „neque per præventionem, neque pro-  
 „pter supplendam Regis negligentiam,  
 „neque alia quacunque ratione fas om-  
 „nino erit Beneficium ullum, sede va-  
 „cante, attingere: sed si quid litis con-  
 „tentionisque circa Regaliam, aut ob-  
 „noxia Regaliæ Beneficia exortum fue-  
 „rit, nequire sanctam sedem, neque ul-  
 „lum Concilium œcumenicum contro-  
 „versiam istam dirimere, Senatam Pa-  
 „risiensem potioem esse. Pars Regum  
 „cum sit Regalia, posse quidem cju-  
 „cumque libidine in immensum cresce-  
 „re, nullatenus vero constringi, aut  
 „coarctari, multo minus aliqua sui parte  
 „imminui, nec Regibus quidem juben-  
 „tibus, paciscentibus, summa potestate



Sæc. XVII. „annitentibus; jus enim regium etiam  
 A. C. 1682. „ipsis Regibus sanctum. Quare si quic

„his temporibus vel pacis studio, ve  
 „amore religionis, vel collata in Epi  
 „scopos gratia Ludovicus XIV. detraxe  
 „rit de Regalia, delibaveritque, libe  
 „rum fore sequentibus Regibus, id to  
 „tum irritum habere ac facere.

„Hos aliosque infelices prorsus et  
 „Regalæ trunco erumpentes frutice  
 „edictum illud adeo non rescavit, ut  
 „etiam latiores vegetioresque effecerit  
 „Quamobrem edicto illo nihil adepti su  
 „mus, cuncta vero perdidimus; præ  
 „sertim si in tot tantisque insurgendi  
 „Ecclesiamque vindicandi causis San  
 „ctitas Vestra quieverit, silueritque  
 „Quam multi enim sunt, Beatissime Pa  
 „ter, qui cum Sanctitatem Vestram vi  
 „debunt post tantam exhibitam con  
 „stantiam, dubitantem; post tot inter  
 „tatas minas, habenas sceleri laxantem,  
 „putabunt non esse scelus, quod tam  
 „magna, tam sancta potestas non ulcisci  
 „tur. Credens etiam, quæ regio edicto  
 „sublata sunt, ea tantum Ecclesiæ frau  
 „di fuisse; cætera reprehensione carere,  
 „& utcumque ferenda videri. Quocirca  
 „plus ex vestro feremus detrimenti si  
 „lentio, quam ceperimus ex sacrilega  
 „Regalistarum sævitia. Hac enim mi  
 „seri duntaxat sumus; illud efficiet, ut  
 „tot



„tot miseriis digni quoque existime-  
 „mur. „

Sæc. XVII.

A. C. 1682.

„Viderint deinde, quorum interest  
 „(nam aliorum appetitor non sum) quam  
 „mali exempli fit, Episcopos e curiæ  
 „nutu pendentis, ausos esse tanto Ec-  
 „clesiæ detrimento, tanta Apostolicæ  
 „Sedis injuria, Vobis inconsultis, imo  
 „vero omnino spretis, Regaliæ jure tanto  
 „tamque immenso cedere; cum præfer-  
 „tim maxime scirent, eam causam a-  
 „pud sanctam sedem agi jam cæptam,  
 „imo diu contestatam, ultimoque judi-  
 „cio maturam. „

„Præsumptionem istam alia multo  
 „major multoque nocentior excepit.  
 „Nam iidem illi Episcopi, ne quis pœ-  
 „nas suo sociorumque sceleri debitas ex-  
 „poscat, nihil non moliuntur, ut Apo-  
 „stolicam sedem, cujus est ista ulcisci,  
 „in ordinem redigant. Quocirca ausi  
 „sunt in florentissimo Sedis Apostolicæ  
 „statu, sedente in Cathedra Petri In-  
 „nocentio XI. toto orbe Christiano de  
 „tanto Pontifice sibi gratulante, ausi  
 „sunt, inquam, de summa Religione  
 „statuere ac quæstiones movere, quæ  
 „nonnisi tristioribus ac difficillimis schis-  
 „matis temporibus ventilatæ sunt. „

„Ecce mirifici istius Concilii egre-  
 „gios Canones: pronuntiat, Apostoli-  
 „cæ Sedis plenitudinem intra Canonum



Sæc. XVII. „septa coarctari, præsertim vero Eccle-  
 A. C. 1682. „siæ Gallicanæ libertatibus retundi in  
 „negotiis fidei: Si quid Papa ut Papa  
 „statuerit, id omnino certum non esse;  
 „ut autem sit, Ecclesiæ assensum effi-  
 „cere: Papam subesse Concilio quocum-  
 „que tempore, quacumque ratione;  
 „Synodum Constantiensem ita censu-  
 „se. O rem inauditam! iudices sedent  
 „pauculi Episcopi; stant Papa Conci-  
 „liumque Rei. An Papæ præstet Con-  
 „cilium, an Concilium Papæ, incertum  
 „eis est. Unum illis constat, utrique  
 „dominari, ac præesse augustissimum  
 „illorum Conventum; utrique pro sua  
 „summa potestate jus dicunt: In eo-  
 „rum arbitrio positum est, aut Papam  
 „supra Concilium, aut Concilium supra  
 „Papam evehere: quidquid censuerint,  
 „orbi Christiano lex esto. „

„Audacia hæc, Beatissime Pater,  
 „qua universæ Ecclesiæ Majestas lædi-  
 „tur, Vobis, qui universam Ecclesiam  
 „regitis, animadvertenda est, nobis  
 „autem, qui in novissimo loco recumbi-  
 „mus, tantum lugenda. Quæ vero  
 „Ecclesiæ Apamiensis propria mala sunt,  
 „præter luctum hoc a me insuper por-  
 „stulant, ut Vos Sanctissime Pater, et  
 „tiam atque etiam rogem, imo per Pe-  
 „trum Paulumque obtester, ne diutius  
 „Ecclesiam illam conquerendo dicere  
 „sina-



„sinatis: *Consolantem me quæsiui, & non* Sæc. XVII.  
 „*inveni.* Educite illam tandem de domo A. C. 1682.  
 „carceris, disrumpite vincula ejus. De-  
 „nique decernite solemnè judicio, Chri-  
 „stianissimum Regem in tota Apamiensi  
 „Diœcesi Regaliæ jus nullum habere,  
 „neque vi sceptri, neque ullo ab Ec-  
 „clesia concesso privilegio, ut omnium  
 „retro temporum possessio, & rationes  
 „demonstrant, nequivisse Archiepisco-  
 „pum Tholosanum jure Metropolitanico  
 „Vicarios Generales a Capitulo Apa-  
 „mienti electos munere suo depellere,  
 „aliosque in eorum locum substituere:  
 „incidisse cum ipsum Archiepiscopum,  
 „Vicariosque ab eo missos, tum eos  
 „omnes, qui Vicariis hujusmodi pa-  
 „ruerunt, excommunicationem, alias-  
 „que poenas in literis Apostolicis primo  
 „Januarii 1681. contentas; nominatim  
 „vero eos, quos facta rite inquisitione  
 „comperi mandatis Apostolicis pertina-  
 „cissime restitisse, prout luculenta Ro-  
 „mam missa testimonia demonstrant:  
 „rescindi denique acta omnia, cum con-  
 „ventus Provincialis Tholosani, tum  
 „illius Generalis Parisiensis, propter  
 „adversus utrumque interpositam a me  
 „intercessionem oppositionemque, „  
 „Justum hoc judicium ut judicetis,  
 „Pater Sanctissime, efficiat velim Spi-  
 „ritus ille veritatis, qui arguit mun-  
 „dum



Sæc. XVII. „dum de justitia, & de judicio, quique  
 A. C. 1682. „posuit Vos Episcopum regere Eccle-  
 „siam Dei, simulque suadeat, ista ni-  
 „mia moderatione cunctationeque re-  
 „bus Ecclesiæ minime consuli, sed cuncta  
 „potius in deterius ruere, libertatem  
 „Ecclesiæ interire, aperiri viam schis-  
 „mati, improborum audaciam majores  
 „vires captare, Henricianam hæresim  
 „altas radices figere, infinita denique  
 „mala oriri. „

„Date veniam, Pater Sanctissime,  
 „si quid in multiloquio in Vos, aut a-  
 „lios quoscumque incautus peccavi.  
 „Sed nesciunt plerumque decorum, quo-  
 „rum calamitas excessit modum; cum  
 „animum suus excruciat dolor, parum  
 „aliena majestas afficit. Urgeo Vos,  
 „luctabor etiam vobiscum, quemadmo-  
 „dum cum Angelo Dei, imo cum ipso  
 „Deo luctatus est aliquando Jacob, ideo  
 „dictus Israel. Porro non dimittam  
 „Vos, nisi benedixeritis mihi, lætus-  
 „que ab hoc certamine, tametsi clau-  
 „dus recedam, neque erit mihi pede  
 „claudicare molestum, si modo datum  
 „fuerit Ecclesiæ vincere. Hujus bene-  
 „dictionis, hujus & victoriæ certum  
 „omen habeo concessam mihi, ac per  
 „me toti Diæcesi a Sanctitate Vestra Ju-  
 „bilæi gratiam, quæ humillimo ac gra-  
 „tiosissimo animo excepta, tot malorum  
 „pon-



„pondere fere oppressos interim nos re- Sæc. XVII.  
 „creavit. Multos Vobis, Pater San- A. C. 1682.  
 „ctissime, annos, & quidquid optimum  
 „apprecor, simulque Apostolicos pedes  
 „exosculor, „

§. XI.

*Epistola Pastorum Apamiensium ad  
 Innocentium XI. Papam.*

Interim sæva vexationum ac calami- Gall. vind.  
 tatum procella Apamienses Parochos pag. 353.  
 a constantia hucusque gloriose demon-  
 strata disjecit; horum enim potissimi  
 partim majoris mali minis territi, par-  
 tim hujus controversiæ mox compo-  
 nendæ pollicitatione a Clero Gallicano  
 facta seducti, Vicariis Generalibus ab  
 Archiepiscopo Tolosano intrusis obe-  
 dientiam præstiterunt: brevi tamen  
 agnita culpa & errore a summo Ponti-  
 fice suæ imbecillitatis veniam pœnitentia  
 ducti rogabant, qua etiam benigne  
 impetrata, eidem grates rependerunt,  
 die vigesima sexta Martii datis ad il-  
 lum hisce literis:

„Peccavimus: nec satis est semel  
 „dixisse; addimus iterum iterumque,  
 „peccavimus. Denique sine modo vo-  
 „cem illam, quæ tam multis saluti fuit,  
 „usurpata, multo pluribus perniciem  
 „attulit prætermissa, ingeminamus:  
 „pecca-



Sæc. XVII. „peccavimus. Sit hoc epistolæ hujus  
 A. C. 1682. „initium, sit clausulæ, sit summa. Quid  
 „enim aut jucundius legere vos, aut  
 „nos scribere salubrius possumus? Di-  
 „cat itaque unus quisque nostrum in se  
 „reversus, quod ille adolescens Evan-  
 „gelicus: *Pater peccavi in cælum & co-*  
 „*ram te.* Gravem quippe in cælum cul-  
 „pam commisimus, qui posita ad ara-  
 „trum manu retro respeximus, facti  
 „Regno Dei minus idonei, qui animas  
 „nostras facientes pretiosiores, quam  
 „nos, minus metuimus peccare in con-  
 „spectu Domini, quam incidere in ma-  
 „nus hominum. Denique qui cum ho-  
 „minibus Christi tunicam inconsutilem  
 „scindentibus, abominationem desola-  
 „tionis in loco sancto ponentibus, &  
 „adversus id omne, quod vocetur Deus,  
 „sefe erigentibus, fædam & exitiosam  
 „non sponte quidem, sed neque incul-  
 „pate Societatem inivimus. Coram  
 „Vobis, Beatissime Pater, deliquimus,  
 „desertis iis castris, in quibus Sanctitas  
 „Vestra toto animirobore totaque cum  
 „laude præliatur prælia Domini. Tume-  
 „tiam, quo maluimus plenam ignominie  
 „securitatem quærere, quam pulchra,  
 „sanctaque vobiscum adire pericula, vo-  
 „biscum deinde partituri æterni gloriam  
 „triumphi. Denique quod neglecta ve-  
 „stra



„stra optimi supremique Pastoris voce, Sæc. XVII.  
 „lubentius audiverimus ullulatum Lupi. A. C. 1682.

„Auget vero non mediocriter cul-  
 „pam nostram, quod per crebra Inno-  
 „centiæ exempla in culpam ruimus:  
 „quod de agone recessimus, cum ma-  
 „xime socii, Fratresque nostri in stadio  
 „currerent, ac sic cucurrerint, ut qui-  
 „dam eorum bravium comprehenderint,  
 „omnes comprehensuri videantur. Quod,  
 „Pater Sanctissime, Episcopi nostri viri  
 „Apostolici (cui toties singuli dixeram-  
 „mus, etsi omnes scandalizati fuerint  
 „in te, ego nunquam scandalizabor)  
 „spem decepimus: gloriam obscuravi-  
 „mus, triumphum minuimus, illam-  
 „que beatam, nec satis prædicandam  
 „necessitudinem, qua cum illo conjuncti  
 „fuimus, non satis meminisse, pene  
 „contemnere visi sumus. „

„Ingens profecto culpa fuit hæc,  
 „grandæque delictum, at cui sua non  
 „defuit pœna. Profecto in regionem  
 „longinquam durissimam servitutem  
 „servivimus, sed cive regionis illius,  
 „cui adhæsimus, porcos pascente, fa-  
 „me perimus, filiquas cupimus, nec  
 „impetramus, & tamen crudelissimo  
 „Domino felices videmur. Non opus  
 „est istius calamitatis singulas partes  
 „percurrere, quarum vel aliquas me-  
 „minisse non parva calamitas est. „

„Ha-



Sæc. XVII. „Habuit tamen pessima ista condi-  
A. C. 1682. „tio optimum hoc, quod nos & de pa-  
 „ternæ domus felicitate cogitare, &  
 „in paternæ charitatis amplexus venire  
 „compulerit. Surgentes revertimur ad  
 „Patrem, apud quem cum mercenarii  
 „loco esse vellemus, excepit nos more  
 „filiorum splendide ac peramanter. Præ  
 „foribus extra limen ob metum & re-  
 „verentiam substiteramus, nec ostium  
 „pulsare ausi, nec ulterius progredi.  
 „Sed moras istas pati non potuerunt  
 „paterna viscera, venientique soboli  
 „dulcissimi genitoris, non domus tan-  
 „tum, sed pectus quoque patuit. „

„Decebat quidem nos, Beatissime  
 „Pater, tam fœdæ defectionis labe pol-  
 „lutos, per longum ac laboriosum ba-  
 „ptisma amissum recuperare nitorem,  
 „tamque alto vulnere confossos gravio-  
 „ribus subjacere remediis, ac ita de-  
 „mum pristinæ sanitati restitui. Dece-  
 „bat, inquam, nos adstantes, deposi-  
 „tos, omnique prorsus Sacerdotali ho-  
 „nore carentes diu multumque ruinam  
 „nostram lugere, Deum placare, ac  
 „universæ Ecclesiæ Gallicanæ, nedum  
 „Apamiensi, cui ingens scandalum fui-  
 „mus, satisfacere. Sed e re fore vi-  
 „sum est, resipiscentes excipere in Spi-  
 „ritu lenitatis, magisque placuit in-  
 „dulgentia. Itaque affuere statim Vestro  
 „no.



„nomine, qui venientibus in amplexus Sæc. XVII.  
 „ruerent, qui Ecclesiæ redderent, qui- A. C. 1682.  
 „que in ea solitis oneribus fungi ju-  
 „berent. „

„Quæ cum ita sint, Beatissime Pa-  
 „ter, nostri muneris esse putavimus,  
 „pro singulari illa vereque Apostolica in  
 „nos benignitate, atque clementia Ve-  
 „stra, humillimas hac Epistola Sancti-  
 „tati Vestræ gratias agere, simulque  
 „polliceri, neminem unquam fore (si  
 „modo Deus adfuerit, ac super nos mi-  
 „sericordiam suam corroboraverit) qui  
 „sanctæ Sedis mandata libentius au-  
 „diat, qui ab ea desciscentes cautius  
 „fugiat, quique schismaticos, & Ec-  
 „clesiasticæ libertatis hostes perfectiori  
 „oderit odio. Aperiantur carceres,  
 „acuantur secures, erigantur cruces,  
 „effundat in nos crudelitas, quidquid  
 „malorum in Patres atque collegas no-  
 „stros hucusque ingestum est, dabit  
 „Christus hæc omnia superare ac vin-  
 „cere, simulque efficiet, ut sic demum  
 „magis magisque constringatur sanctif-  
 „simus ille nexus, qui nos cum Apo-  
 „stolica sede copulat atque conjungit.  
 „Erit nobis sanctum, quidquid illa pro-  
 „baverit, eritque reprobum, quidquid  
 „rejecerit, nec aliter quam publicani  
 „ac ethnici loco habebimus, quisquis  
 „illam audire contempserit. „

„Ru-



Sæc. XVII.

A. C. 1682.

„Rumor est, Sanctissime Pater,  
 „cuncta ad quietem vergere, pacem  
 „polliceri, factumque id esse opera at-  
 „que industria Reverendissimorum Epi-  
 „scoporum, qui convenere Parisios; qui  
 „tam arduam, tamque difficilem con-  
 „troversiam, regnum inter & Sacerdo-  
 „tium quomodo componerent, nisi fo-  
 „rent Spiritu Sancto repleti? hoc ajunt.  
 „Etenim, si pax ista talis extiterit,  
 „qualem a Sanctitatis Vestræ cura, sa-  
 „pientia, tum animi fortitudine popu-  
 „lus Christianus universus exspectat,  
 „qualem per tot labores, gemitus, pe-  
 „ricula Episcopus noster quæsit, qua-  
 „lem postulat sanctæ Sedis violatæ Ma-  
 „jestas, Sacro - Sancti Concilii Lugdu-  
 „nensis conculcata auctoritas, octoginta  
 „minimum Ecclesiarum sub jugum mis-  
 „sa libertas. Si pax ista domus Dei  
 „Zelatoribus attollat animos, eosque  
 „qui sanctam sedem veneratione ac stu-  
 „dio prosequuntur, quique pro ea non  
 „exigua incommoda perpessi sunt, ac  
 „nova pro ejus dignitate tuenda, siquid  
 „imposterum triste acciderit, ad sub-  
 „eunda pericula, fortiores, alacriores-  
 „que efficiat. Denique si pacem istam  
 „Ecclesia dederit, non acceperit, &  
 „quidem invita, vim passa, spreta, lu-  
 „dificata, tunc profecto Reverendissi-  
 „mis Episcopis ex animo gratulabimur,  
 „simul-



„simulque in Domino gaudebimus, Sæc. XVII.  
 „Deumque pacis benedictum dicemus A. C. 1682.  
 „ex hoc, nunc & usque in Sæculum.

„Contra vero, si fuerit ista pax non  
 „donum Dei, sed opus, imo ludus Sæ-  
 „culi, non Ecclesiæ restituta libertas,  
 „sed rata servitus, & si quid melius,  
 „catena paulo nitentior; non prostra-  
 „tus error, sed triumphata veritas; non  
 „improbitalis atque audaciæ frænum,  
 „sed ad quidvis adversus Concilia œcu-  
 „menica, adversus sanctæ Sedis De-  
 „creta, adversus omnia sacra imposte-  
 „rum audendum tentandumque inci-  
 „tamentum. Si tot eximios invictos-  
 „que libertatis Ecclesiasticæ defensores  
 „pax reliquerit inglorios, afflictos, op-  
 „pressos, pedibus conculcatos, contra  
 „vero tot improbos, qui ausi sunt altare  
 „contra altare erigere, sanctam sedem  
 „quasi infestis signis petere, multa sa-  
 „cilegia patrare, quique de illis ad-  
 „huc glorientur (adeo non dolent)  
 „nulla nec levi quidem pœna affece-  
 „rint, sed gaudere licuerit mercede  
 „iniquitatis. Postremo si fuerit pax ista  
 „non pax, sed bellum, tanto terribi-  
 „lius, quanto latentius, tanto crude-  
 „lius, quanto callidius, sub blando  
 „concordiæ nomine decipit: erit prohi-  
 „dolor, nobis lugendus non unus, sed  
 „duplex casus; noster scilicet, & Re-  
 „ligio-



Sæc. XVII. „ligionis, noster quidem, qui in bello  
 A. C. 1682. „corruimus: Religionis autem, quam  
 „pax ista quodammodo dejiciet, atque  
 „profternet. Sed melius sperare mo-  
 „vent quæcumque hucusque Sanctitas  
 „Vestra pro domo Dei & fecit, & passa  
 „& fortiter atque sapienter. „

„Multo plura fortassis addenda fo-  
 „rent, sed utilius modestiusque filebi-  
 „mus. Taceant pœnitentes, & lu-  
 „geant, qui nec nimium filere, nec fa-  
 „tis lugere possunt: gaudeat, interim lu-  
 „gentibus? nobis Sanctitas Vestra, gau-  
 „det Angelus non super uno sed super  
 „multis peccatoribus pœnitentiam a-  
 „gentibus. Dignatus est olim Christus  
 „Mulieri in Civitate peccatrici osculan-  
 „dos pedes porrigere: num parem pœ-  
 „nitentia nostra ambit honorem? Am-  
 „bit equidem. Non veremur tali exem-  
 „plo provocati, Christi potestatis Vi-  
 „carii, Christi vitæ æmuli non pedes  
 „quidem, sed pedum vestigia pronò  
 „ore osculari ac lambere. „

## §. XII.

*Cleri Gallicani molimina pro redur-  
 cendis Hugonottis.*

*Bossuet decl. defens.* Quantumcunque congregati Franciæ  
 Præsules novam suam declaratio-  
 nem, Regaliæ approbationem, illatas-  
 que



que Romanæ Curiaë vexationes jactato Sæc. XVII.  
 purioris doctrinæ, innatique juris obten- A. C. 1687.  
 tu honestare niterentur, nihilominus ta-  
 men hocce ausus passim maximæ fide-  
 lium offensionem esse, haud ignorabant;  
 ut ergo quodammodo variatæ discipli-  
 næ, ac contemptus labem a se amove-  
 rent, aliunde vero ut Pontificis au-  
 thoritatem certis limitibus per eorum  
 quatuor articulos restrictam plurimum  
 (veluti Regi infusurrabant) ad revocan-  
 dos hæreticos conducere, opere osten-  
 derent, singulare Hugonotas ad veram  
 fidem reducendi studium præferebant,  
 sanctæque Religionis Zelum adversus  
 Calvinistas maximo fervore explica-  
 bant. His jam ante præcinere jussus  
 erat Ludovicus Maimburgus Jesuita,  
 qui quamvis variis in libris suis Ponti-  
 ficiam dignitatem occultis præliis, ac  
 levibus veluti velitationibus impetiis-  
 set, simul tamen Hugonotas ad sinum  
 Ecclesiæ & Pontificis obsequium invi-  
 tare aggrediebatur, edito libro, cui  
 titulus: *Methodus pacifica*. Postea idem  
 Cleri Gallicani Conventus, qui nuper  
 quatuor suos articulos de potestate  
 Pontificia condiderat, prævie episto-  
 lam encyclicam ad omnes reliquos  
 Franciæ Præsules die prima Aprilis  
 transmisit, eosque ad æquale sectæ ex-  
 tirpandæ studium incitavit: Erat autem  
 hujus epistolæ tenor sequens: „Non  
 Hist. Eccles. Tom. LXV. F vos



Sæc. XVII. „vos latet concussam aliquatenus nu-  
A. C. 1682. „per fuisse Ecclesiæ Gallicanæ pacem,  
 „quandoquidem nos misit Vestræ Fra-  
 „ternitatis charitas ad illud periculum  
 „propulsandum, fidenter cum B. Cyp-  
 „riano (a) pronuntiamus, *Charissimè*  
 „*Collegæ, Christum, ut unitatem manife-*  
 „*staret, unam cathedram constituisse, & uni-*  
 „*tatis originem ab uno incipientem sua Au-*  
 „*thoritate disposuisse: Eumque, qui Cathed-*  
 „*ram Petri, super quam fundata est Eccle-*  
 „*sia deserit, in Ecclesia non esse, qui vero*  
 „*Ecclesiæ unitatem non tenet, nec fidem habere.*  
 „Quare nihil nobis antiquius fuit statim  
 „atque congregati sumus in nomine  
 „Christi, quam ut *unius corporis*, quod nos  
 „omnes esse inquit Apostolus, *unus*  
 „*esset Spiritus, nec essent in nobis schis-*  
 „*mata* (b), nedum vel minima cum  
 „totius Ecclesiæ capite dissensionis su-  
 „spicio. Hoc autem eo magis perti-  
 „muimus, Honoratissimi Præsules,  
 „quod eum Pontificem inpræsentiarum  
 „nobis providit Deus Optimus Maxi-  
 „mus, quem ob eximias, quibus ab-  
 „unde præditus est, omnium Pastora-  
 „lium virtutum dotes, non modo Ec-  
 „clesiæ Petram, sed etiam tanquam  
 „Fidelium atque in omnibus exemplum be-  
 „norum operum debemus jure merito ve-  
 „nerari. „ Hanc

(a) Cypr. 1. de unit. Eccl.

(b) Matth. 8. Ephes. 4. 1. Cor. 1.



„Hanc nostræ concordiæ, & ad Sæc. XVII.  
 „tuendam Ecclesiæ unitatem conspira- A. C. 1682.  
 „tionis ideam tam pie, tam docte,  
 „tam facunde in omnium nostrum ani-  
 „mis præformavit Illustrissimus Orator,  
 „qui primus quasi nostrorum Comitio-  
 „rum os aperuit, dum Spiritus sancti  
 „gratiam & auxilium communibus vo-  
 „tis sacrificante Illustrissimo Parisiensi  
 „Archiepiscopo, nostro dignissimo Præ-  
 „sede, invocavimus, ut inde nostri  
 „Conventus felicissimum exitum omi-  
 „nati sint universi.,

„Non dubitamus equidem, Consa-  
 „cerdotes Reverendissimi, quin per-  
 „gratum Vobis fuerit, quod a Regis  
 „nostri Christianissimi pietate obtinui-  
 „mus, quodque vicissim ad pacem ser-  
 „vandam, ac tanti Principis gratiam  
 „conciliandam, simul & ad memoris  
 „nostri animi testificationem rependi-  
 „mus; quodque tandem scripsimus ad  
 „sanctissimum Pontificem. Sed operæ  
 „pretium esse duximus aliquid ulterius  
 „explicare, ne quid unquam contingat,  
 „quod possit Ecclesiæ quietem ordinis-  
 „que tranquillitatem tantisper com-  
 „movere.,

„Sane, cum vel ad levissimam di-  
 „scordiae umbram unusquisque nostrum  
 „exhorruerit, existimavimus maxime  
 „nos Ecclesiæ unitati profuturos, si cer-  
 „tas



Sæc. XVII. „tas Regulas conderemus, vel potius  
 A. C. 1682. „antiquas in fidelium memoriam revo-  
 „caremus, quibus tota Ecclesia Galli-  
 „cana, *quam nos regere posuit Spiritus*  
 „*Sanctus*, ita secuta esset, ut nemo un-  
 „quam vel deformi assentatione, ve-  
 „abrupta falsæ libertatis cupiditate,  
 „terminos transgrederetur, quos posuerunt  
 „*Patres nostri* (c), sicque nos ab omni  
 „diffensionis periculo explicata veritate  
 „liberaret.„

„Quandoquidem vero non modo te-  
 „nemur Catholicorum paci studere, sed  
 „etiam procurandæ eorum reconcilia-  
 „tioni, *qui a Christi sponsa segregati adu-*  
 „*teræ conjuncti sunt, & a promissis Eccle-*  
 „*sie separati* (d), adhuc ea ratio nos  
 „impulit, ut eam aperiremus quam  
 „veram esse arbitramur Catholicorum  
 „Sententiam: Sic enim factum iri spe-  
 „ravimus, ut nemo amplius fidelium fra-  
 „ternitatem mendacio fallat, aut fidei ve-  
 „ritatem perfida prævaricatione corrumpat,  
 „& qui in Romanam Ecclesiam, erro-  
 „ris nobis afficti specie, velut in repro-  
 „batam Babylonem hæcenus debac-  
 „chati sunt, quia mentem nostram vel  
 „ignorarunt, vel se ignorare simularunt,  
 „detracta tandem falsitatis larva, a  
 „calumniis suis imposterum temperent,  
 „&

(c) Prov. 22.

(d) S. Cypr. l. 6.



„& in suo schismate, quod tanquam ipsa-Sæc. XVII.  
 „met Idololatria detestabilius crimen A. C. 1682.  
 „execratur Augustinus (e) diutius non  
 „perseverent, „

„Profitemur itaque, Illustrissimi Præ-  
 „sules, quamvis *duodecim*, quos *elegit*  
 „*Jesus & Apostolos nominavit*, sic, ad  
 „regendam in solidum suam Ecclesiam,  
 „constituerit, ut essent pari, sicut lo-  
 „quitur S. Cyprianus, *honoris & pote-*  
 „*statis consortio præditi*, Primatum ta-  
 „men Petro divinitus fuisse concessum;  
 „quod & ab Evangelio discimus, & tota  
 „docet Ecclesiastica traditio. Quare  
 „in Romano Pontifice, Petri Succes-  
 „sore, *summam, licet non solam*, cum  
 „B. Bernardo (f), *a Deo institutam Apo-*  
 „*stolicam potestatem* venerati, servato  
 „crediti nobis Christi Sacerdotii honore,  
 „Claves primum uni traditas esse, ut  
 „unitati servarentur, cum SS. Patribus,  
 „Ecclesiæque Doctoribus prædicamus;  
 „sicque summorum Pontificum, seu  
 „quoad fidem, seu quoad generalem  
 „Disciplinæ morumque reformationem,  
 „decretis fideles omnes censemus esse  
 „obnoxios, ut supremæ illius Spiritua-  
 „lis potestatis usus per Canones totius  
 „orbis observantia consecratos deter-  
 „minandus moderandusque sit: Si qua

F 2

„au-

(e) S. Aug. epist. 162.

(f) S. Bern. l. 3. de Confid.



Sæc. XVII., „autem ex Ecclesiarum dissensione, gra-  
 A. C. 1682. „vis difficultas emerferit, *Major* ut lo-  
 „quitur Leo Magnus, *ex toto orbe Sa-*  
 „cerdotum numerus congregetur, generalis  
 „que Synodus celebretur, quæ omnes offen-  
 „siones ita aut repellat, aut mitiget, ne  
 „ultra aliquid sit vel in fide dubium, vel in  
 „charitate divisum (g).

„Cæterum, Fratres Religiosissimi,  
 „cum Republica Christiana non Sacer-  
 „dotio tantum, sed etiam Regum, &  
 „sublimiorum potestatum Imperio guber-  
 „netur; ita quoque ut prospeximus, ne  
 „schismatibus dividatur Ecclesia, sic  
 „& debuimus omnibus Imperii tumul-  
 „tibus, populorumque motibus obviam  
 „ire, in eo præsertim Regno, in quo  
 „tot olim, specie Religionis, perduel-  
 „liones exortæ sunt, ac propterea Re-  
 „giam Authoritatem, quoad tempora-  
 „lia, a Pontificia liberam esse pronun-  
 „tiavimus, ne si forte Ecclesiastica po-  
 „testas crederetur aliquid moliri, quod  
 „temporalem minueret, Christiana tran-  
 „quillitas turbaretur.,

„Rogamus porro fraternitatem pie-  
 „tatemque Vestram, Reverendissimi  
 „Præsules, ut quondam Concilii Con-  
 „stantinopolitani (h) primi Patres ro-  
 „gabant

(g) Epist. 24. ad Theod. Aug.

(h) Epist. Syned. Concil. Const. I. ad Conc.  
 Rom.



„gabant Romanæ Synodi Episcopos, Sæc. XVII. A. C. 1682.  
 „ad quos Synodalia sua gesta mittebant;  
 „ut de iis, quæ, ad Ecclesiæ Gallicanæ  
 „perpetuo sartam tectam conservan-  
 „dam pacem explicuimus, *nobis congra-  
 „tulemini*, & idem nobiscum sentientes,  
 „eam, quam communi Consilio divul-  
 „gandam esse censuimus, doctrinam in  
 „vestris singuli Ecclesiis, atque etiam  
 „Universitatibus & Scholis vestræ Pa-  
 „storali curæ commissis, aut apud Ve-  
 „stras Diæcesis constitutis, ita procu-  
 „retis admitti, ut nihil unquam ipsi con-  
 „trarium doceatur. Sic eveniet, ut,  
 „quemadmodum Romanæ Synodi Pa-  
 „trum consensione Constantinopolitana  
 „Universalis & Oecumenica Synodus  
 „effecta est, ita & communi nostrum  
 „omnium Sententia noster Confessus fiat  
 „nationale totius Regni Concilium; &  
 „quos ad vos mittimus, doctrinæ nostræ  
 „articuli, fidelibus venerandi & nun-  
 „quam intermorituri Ecclesiæ Galli-  
 „canæ Canones evadant. „

„Optamus vos semper in Christo  
 „bene valere, precamurque Deum im-  
 „mortalem, ut Vestram Fraternitatem  
 „ad Ecclesiæ suæ bonum florentem &  
 „incolorem servet. „



Sæc. XVII.  
A. C. 1682.

*Vobis additissimi Collegæ  
Archiepiscopi, Episcopi, cete-  
rique Ecclesiastici Viri  
A Clero Gallicano Deputati,  
FRANCISCUS Archiepiscopus  
Parisiensis Præses.*

*De mandato Illustrissimorum & Reveren-  
dissimorum Archiepiscoporum, Episcoporum,  
totiusque cætus Ecclesiastici in comitiis Ge-  
neralibus Cleri Gallicani Parisiis con-  
gregati.*

§. XIII.

*Litteræ Encyclicæ Cleri Gallicani ad  
Franciæ Præsules.*

*Sæger Hist.* **P**ostea Franciæ Præsules omne stu-  
*Eccl. p. 4.* dium impenderunt, ut Ludovicum  
*Horn. con-* Regem ad promovendam Hugonota-  
*tin. Hist.* rum conversionem incitarent; unde in-  
*pag.* ter eos Archiepiscopus Parisiensis gra-  
tius Regi actis pro studio in evertenda  
hæresi impenso, enixe rogabat, ut in  
laudabili hoc proposito immotus per-  
sisteret, necnon Francisci I. Prædecef-  
foris sui exemplum imitaretur, qui asse-  
rere solebat, se etiam mori non recu-  
saturum, dummodo Francia unum fie-  
ret ovile atque unus Pastor. Ad hæc  
reposuit Rex, se non tantum brachii,  
sed & vitæ jacturam libenter subiturum,  
si om-



homines hæretici in Regno suo ad veræ Sæc. XVII.  
 Ecclesiæ finem revocari possent. Hoc A. C. 1682.  
 Ludovici ardore magis accensi Præsu-  
 les, die prima Julii, annuente Rege  
 omnes Regni Episcopos certiores red-  
 didere, sibi id negotii fuisse manda-  
 tum, ut hæresin Calvini, utpote po-  
 tiorem schismatis arcem expugnarent,  
 ac Magni Ludovici triumphos gloriosa  
 Protestantium conversione augerent.  
 Igitur hanc in rem ad eos Franciscus  
 Harlæus Archiepiscopus Parisiensis ex  
 mandato Cleri Gallicani Parisiis in co-  
 mitiis auctoritate Regia congregati se-  
 quens edictum circa Religionis nego-  
 tium promulgavit:

„Quod a Patribus olim in Concilio Nouvell.  
 „Arelatensi primo, bene ac sapienter recueil. des  
 „institutum, perfectumque est, ut per- Act. du  
 „acta re, cujus conficiendæ caussa præ- Clergé t. 6.  
 „sertim convenerant, ad cetera dein-  
 „de animum intenderent, quæ Chri-  
 „stianæ Reipublicæ commodis intelli-  
 „gerent, esse profutura, id etiam nos  
 „Parisiis Gallicanæ Ecclesiæ nomine,  
 „necnon auctoritate Regia congregati  
 „usurpare, in eoque Majorum inhærere  
 „vestigiis decrevimus. Quamobrem  
 „constitutis, transactisque negotiis,  
 „propter quæ duxeramus convenire ne-  
 „cessarium, ea deinceps procuranda  
 „existimavimus, quæ augendo, tueri-  
 „doque



Sæc. XVII. „doque nomini Christiano utilia vide-  
 A. C. 1682. „rentur. Et quoniam his tribus capiti-  
 „bus omnino pax & virtus Ecclesie  
 „tanquam solidis firmamentis conti-  
 „neatur, fide, moribus, & disciplina,  
 „in iisque stabiliendis Concilii Arela-  
 „tensis Patres operam collocarint, id-  
 „circo nos in eam partem omni studio  
 „incubuimus, ut ad fidem illustrandam,  
 „ad efformandos mores, atque ad sanctæ  
 „Disciplinæ apud Gallias confirman-  
 „dum robur, curam nostram & sollici-  
 „tudinem conferremus, ne qua moli-  
 „tione imposterum triplex ille funicu-  
 „lus, cujus firmo & mirabili contextu  
 „Catholica veritas constat, labefactari  
 „a quoquam aut dissolvi possit. Cum  
 „autem in iis fides præcipua sit, nihil-  
 „que plus afferat adjumenti ad eam  
 „propugnandam, quam si hæreses ve-  
 „ritatis luce, & charitatis ardore schis-  
 „mata superentur, operæ pretium esse  
 „existimavimus, hæresin Calvinianam  
 „statim aggredi, eamque arcem schis-  
 „matis potiolem, & in primis validam  
 „impugnare. In hoc charitas Christi  
 „inclinabat nos, urgebatque. Nam  
 „cum intueremur non sine sensu acer-  
 „bissimo doloris, ex una Christi Eccle-  
 „sia duas esse a schismaticis factas, con-  
 „tra quam exemplo suo ipse Christus  
 „docuit, qui fecerat e duabus unam,  
 „toti



„toti cæpinus excandescere desiderio Sæc. XVII.  
 „unitatis, præsertim cum his Christi A. C. 1682.  
 „vocibus quotidie incenderemur: *Alias*  
 „*oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, &*  
 „*illas me oportet adducere, ut fiet unum*  
 „*ovile, & unus Pastor* Joan. 10. v. 16.  
 „Excitabant nos præterea Innocentii XI.  
 „R. P. vita & mores, sic ad veteris,  
 „atque austerioris disciplinæ formam  
 „compositi, ut cum eo sentire fidei no-  
 „stræ adversariis recusandum non sit,  
 „cujus facta imitari etiam sibi, si verum  
 „loqui velint, optandum fateantur. De-  
 „nique stimulabant animos nostros, au-  
 „gebantque Ludovici Magni quotidiana  
 „erga Ecclesiam merita, imo potius  
 „Regiæ fortitudinis, Christianæque pie-  
 „tatis miracula, qui quot urbes hære-  
 „ticas intra Galliæ fines ad pristinam,  
 „avitamque fidem reduxit, totidem  
 „Ecclesiæ Parenti, Filius natu æque  
 „ac virtutibus major, incruentas pe-  
 „perit victorias, suis Fratribus Matri  
 „omnium communi, qua invitando,  
 „qua benefaciendo post diuturnum (di-  
 „vortium reconciliatis. His commoti  
 „exemplis, ac tantum non suspecti no-  
 „bismetipsis negligentæ in fungendo  
 „munere Pastoralis ad hæresin impug-  
 „nandam denique nos accinximus. Ve-  
 „rum cum intelligeremus bellum istius-  
 „modi charitatis unius armis geren-  
 „dum



Sæc. XVII. „dum esse, una Christi Domini pace  
 A. C. 1682 „conficiendum, non adhibere minas,  
 „non objicere terrores, non certare  
 „contumeliis instituiimus, sed hortatio-  
 „nibus, votis, & precibus compellare  
 „adversarios atque ad concordiam ad-  
 „ducere. Tametsi enim non ignore-  
 „mus, contigisse interdum, ut qui per  
 „misericordiæ lenitatem allici recusaf-  
 „sent, per salubrem charitatis quasi  
 „mordacitatem compellerentur: tamen  
 „& Christianæ Societati, quæ inter nos  
 „est, & Catholicæ Matris affectui ma-  
 „gis aptum & congruum fore duximus,  
 „de gremio pacis Apostolicæ fugientes  
 „paternis monitis revocari. Et antea  
 „quidem spontaneos exules, invita &  
 „supra quam dici potest, dolens Christi  
 „Ecclesia severo, itemque legitimo ju-  
 „dicio tanquam filios degeneres, mi-  
 „lites desertores, cives rebelles exhæ-  
 „redaverat, exauctoraverat, & proscri-  
 „pserat, nunc vero exhæredatos, ex-  
 „auctoratos, proscriptos voce nostra po-  
 „stremum alloquitur, & jam nimium  
 „diu acerbi pœnam exilii sustinentes a-  
 „manter sollicitat, maternoque animo  
 „ac desiderio convenit de correctione,  
 „de reditu, de concordia, quam si tum  
 „retinere voluissent, cum sua sponte a  
 „nobis recesserunt, illa nunquam pro  
 „communi erga filios omnes pietate,  
 „ab-



„abrupisset. Quare monemus, horta-  
 „murque toto pondere charitatis incli-  
 „nantes ad reconciliationem pacis, ut  
 „revertantur ad nos. Percunctamur  
 „iterum, iterumque cur abscesserint,  
 „cur Catholicam unitatem repudiarint?  
 „significamus, quam proclive futurum  
 „sit, plaga schismatis obducta semel,  
 „persanari cetera, quæ medicina egere  
 „videbuntur, atque adeo pollicemur,  
 „si ex animo resipiscant, a nobis esse,  
 „vel cum Matris Ecclesiæ quasi quo-  
 „dam incommodo recipiendos. Ac ne  
 „fors inde sumant occasionem sibi ac  
 „suis blandiendi spe inani futuræ inter  
 „nosmet dissociationis, quod exorta  
 „sint nuperrime Romanam inter & Gal-  
 „licanam Ecclesiam nonnulla dissidia,  
 „censuimus admonendos, primum non  
 „de fidei doctrina, quæ una eademque  
 „semper fuit utrobique, non de morum  
 „institutiis, quos utraque apud se vult  
 „esse purissimos & castigatissimos: ve-  
 „rum de alternantis pro tempore di-  
 „sciplinæ rationibus aliquot, nos cum  
 „Ministris summi Pontificis (salva pace  
 „fraternæ charitatis) contendere. Dein  
 „vero posse a Catholicis adversus Ca-  
 „tholicos citra noxæ periculum, dum  
 „id more Christiano, ac modo fiat, in-  
 „tra viscera Ecclesiæ, neque scisso utero  
 „disputari. Postremo illam ipsam con-  
 „ten-

Sec. XVII.  
 A. C. 1682.



Sæc. XVII. „tentionem, quam suscepimus, & ipsis  
 A. C. 1682. „fugiendi exemplo nostro schismatis,  
 „& nobis ejusdem infectandi causam  
 „esse oportere; quippe quanto modera-  
 „tior, honestiorque nostra contestatio  
 „futura est, tanto confidentius schisma-  
 „ticos arguere, ac divulsæ unitatis reos  
 „facere apud totam Ecclesiam licebit  
 „nobis. Etenim cum in eam necessi-  
 „tatem sæpe adducti simus, tametsi re-  
 „pugnantes, ut querelis interdum a-  
 „pud Romanum Pontificem deferendis,  
 „Regni juribus interdum, vel Ecclesiæ  
 „nostræ vindicandis privilegiis agere-  
 „mus, ea moderatioe, Reverentia,  
 „& Religione in re quavis disceptanda  
 „discernendaque fuimus adhuc, ut ne mi-  
 „nimam quidem suspicionem læsæ cha-  
 „ritatis moverimus, nedum ut simul-  
 „tati locum ullum fecerimus, aut di-  
 „vortio dederimus occasionem. Hæc  
 „nostri consilii de revocandis ad con-  
 „cordiam schismaticis tota plane ratio  
 „est, eaque ad Ecclesiæ Africanæ imi-  
 „tationem expressa. Nam quemadmo-  
 „dum Africani Patres a Majoribus no-  
 „stris acceperunt, quo hæreses quon-  
 „dam apud se invalescentes facilius pro-  
 „fligarent, ita nos ab eorum exemplo  
 „hodie repetimus, quo sanctiones no-  
 „stras contra horum temporum hæreti-  
 „cos tueamur. Quod quidem ut ex  
 „voto



„voto nostro, adeoque etiam vestro per- Sæc. XVII.  
 „ficiatur, vos etiam atque etiam obte- A. C. 1682.  
 „stamur, & pro eo charitatis ardore,  
 „quo erga Christi Ecclesiam nobiscum  
 „juxta incensi estis, futurum expecta-  
 „mus, ut cum primum has literas, at-  
 „que hujus monitionis ad schismaticos  
 „acceperitis exemplum, id curetis con-  
 „tinuo notum fieri omnibus & singulis  
 „Calvinianæ sectæ consistoriis, quæ in  
 „vestris Diæcesibus ubique sunt, & in-  
 „dictis publice jejuniis, eleemosynis,  
 „supplicationibus, instituatis præterea  
 „cateheses, Conciones, adhortatio-  
 „nes, colloquia pacifica, ceteraque id  
 „genus conciliandis animorum conten-  
 „tionibus idonea. Ita speramus fore,  
 „ut adjuvante Deo per summam suam be-  
 „nignitatem fiant. Nostra de pace, & uni-  
 „versi Orbis Christiani reconciliatione  
 „consilia, fiat demum, ut antea, unum  
 „ovile, & unus Pastor.”

Hiscæ literis triginta quinque Fran-  
 ciæ Præsules, & totidem Ecclesiastici  
 subscripti legebantur.

Die autem decima Julii Rex datis  
 ad hosce Præsules literis eorum Zelum  
 ac studium pluribus commendavit, eis-  
 que significari jussit, quod omnes Pro-  
 vinciarum Prætores hortatus sit, qua-  
 tenus ad optatum conversionis succes-  
 sum eisdem suas quoque jungerent vi-  
 res



Sæc. XVII. res & auxilium, simul tamen eis incul-  
A. C. 1682. cabat, ut Calvinianorum animos non-  
 nili moderatione & rationum pondere  
 ad veritatis semitam reducere niteren-  
 tur, nilque contra edicta & declara-  
 tiones, vi quarum Calviniana secta in  
 Regno est tolerata, attentarent.

## §. XIV.

*Cleri Gallicani Monitum Pastorale ad  
 omnes Franciæ Calvinistas.*

*Hode vie de  
 Louis XIV.  
 Hist. de la  
 revoc. de  
 l'Edit de  
 Nantes.*

Prona hac Regis voluntate animati  
 Præsules Gallicani, insuper cun-  
 ctos Calvinistas, quos nomine *Fratrum*  
 honorabant, ex omnibus Franciæ Pro-  
 vinciiis ad pristinam cum Ecclesia Ca-  
 tholica unionem invitarunt, tresque li-  
 teras fraterna charitate plenas & regio  
 diplomate munitas die prima Julii ad il-  
 los transmisere, hujus tenoris: „Ingemi-  
 „scit jam diu, Fratres, universa Christi Ec-  
 „clesia, & maximo cum dolore plena fan-  
 „ctæ & sinceræ pietatis Parens vos ab ute-  
 „ro, ab uberibus, a gremio suo volunta-  
 „ria secessione abstractos, & in solitu-  
 „dine adhuc errantes videt. Numquid  
 „enim poterit mater oblivisci filiorum  
 „uteri sui? aut Ecclesia non meminisse  
 „Charitatis erga vos, male memores  
 „quidem, at filios tamen suos, quos  
 „erroris contagio a veritate Catholica,  
 „&



„& Calvinianæ defectionis tempeſtas a Sæc. XVII.  
 „veteris fidei ſanctitate abſtraxit, a ca- A. C. 1682.  
 „pitate Chriſtianæ unitatis avulſit. Hinc  
 „eſt, Fratres, quod illa ingemiſcit, &  
 „diviſa ſua viſcera graviffime pariter ac  
 „amariffime conqueritur. Quærit filios  
 „amiſſos, vocat ut perdix, ut Gallina  
 „congregare fatagit, ut aquila provo-  
 „cat ad volandum, & maternis anxia  
 „doloribus conatur vos, Filioli, iterum  
 „parturire, donec vere & Catholice in  
 „vobis reformetur Chriſtus. Nos atque  
 „Clerus omnis Gallicanus, quos *Spiri-*  
 „*tus Sanctus poſuit regere Eccleſiam*, in  
 „qua nati eſtis, & qui hæreditate non  
 „interrupta eandem fidem, eandem Ca-  
 „thedram tenemus, quam ſancti Pon-  
 „tifices, qui Chriſtianam religionem  
 „Galliis intulerunt, convenimus vos,  
 „& qua legatione pro Chriſto defungi-  
 „mur, tanquam Deo exhortante per  
 „nos, quærimus a vobis, cur ſchiſma  
 „feceritis? Enimvero, ut ſe habent  
 „res veſtræ, velitis, nolitis, vos eſtis  
 „Fratres noſtri, quos olim unus om-  
 „nium noſtrum Pater, qui in Cælis eſt,  
 „in adoptionem filiorum receperat, &  
 „quos una Mater Eccleſia in ſpem æ-  
 „ternæ hæreditatis ſuſtulerat. Imo &  
 „ille ipſe, qui vos primus ſaſcinavit non  
 „obedire veritati Evangelicæ, Profef-  
 „ſionis veſtræ Antefignanus, nonne an-  
 „*Hift. Eccleſ. Tom. LXV.* G „tea



Sæc. XVII. „tea nobiscum vivebat Frater unani-  
 A. C. 1682. „mis? Non in eadem versari domo,  
 „non iisdem escis Spiritualibus vesci,  
 „non mutua christianæ nobiscum fra-  
 „ternitatis exequi solebat officia? Ex-  
 „cusate, si poteritis apud Patrem, a-  
 „pud Matrem, apud Fratres, fugæ  
 „tam flagitiosæ, tam abruptæ ac præ-  
 „cipitis infamiam, divisionem Christi,  
 „rescissionem Sacramentorum Christi,  
 „bellum impium in membra Christi,  
 „criminationes in Sponsam Christi,  
 „negationem promissionum Christi, ex-  
 „cusate, abluite, si potestis, & quo-  
 „niam non potestis, oraculo Prophetico  
 „vos fatemini obnoxios. Filius malus  
 „justum se dicit, exitum autem suum  
 „abluere non potest. Quorsum itaque  
 „Fratres, in radice cum orbe toto non  
 „mansistis? cur vota ac desideria fide-  
 „lium cum ipsis altaribus confregistis?  
 „cur conscidistis precibus viam? Illuc  
 „ascensus ad Deum fuit, cur, ne more  
 „consueto ad Deum fieret Oratio. sca-  
 „lam tollere de lapide, & sacrilega ma-  
 „nu subducere laborastis? Cæteri ad-  
 „huc Sæctarii hoc moliti erant, non ut  
 „altare Christi subverteretur, sed ut  
 „adversus altare Christi & suum ipsi qua-  
 „lecunque extollerent. Vos ne quid  
 „superesset Sacrificii Christiani, inau-  
 „ditum ad hæc tempora facinus ausi  
 „estis,



„estis, diruere altaria Domini virtu- Sæc. XVII.  
 „tum, in quibus passer Christus elege- A. C. 1682.  
 „rat sibi domum, & turtur Ecclesia ni-  
 „dum sibi, ubi poneret pullos suos.  
 „At hæc postrema & quodcumque dein-  
 „ceps bellorum aut errorum contra an-  
 „tiquum dogma consecutum est, schis-  
 „maticus furor effecit. Nec tam ve-  
 „stræ voluntati, quam schismatis in-  
 „genio volumus esse tribuendum. Hoc  
 „adversus vos nominatim exostula-  
 „mus, hoc ex vobis quærimus indefi-  
 „nenter, cur schisma feceritis? Ad hoc  
 „nisi responderitis, quantumcunque in  
 „aliis dicendo aut scribendo contenda-  
 „tis, superflua loquimini. Quid jam  
 „superest, Fratres, nisi ut isti Spiritus  
 „sancti consilio vestri causa pareamus:  
 „Beati pacifici, quoniam filii Dei vo-  
 „cabuntur, & per viscera misericordiæ,  
 „quæ lacerastis hætenus: per Ecclesiæ  
 „Matris uterum, quem rupistis, per  
 „Sacramenta Dei, quæ contempstis:  
 „per altaria Dei, quæ confregistis; per  
 „quicquid Sanctum aut divinum aut in  
 „cælis aut in terris colitur, vos fra-  
 „ternis animis ad correctionem, ad re-  
 „ditum, ad concordiam hortamur. Imo  
 „quid jam superest omnino, nisi ut ob-  
 „liti schismatis, & memores uberum  
 „revertamini ad propria, ubi tot mer-  
 „cenarii abundant panibus, dum in  
 „ter-



Sæc. XVII. „terra deserta, inuia & inaquosa, ne  
 A. C. 1682. „micas quidem ad sustentandam utcum-  
 „que famem vestram spiritualem collig-  
 „gitis? Ecquid vero cunctamini aut re-  
 „sistitis? Itane vero in filiorum nomi-  
 „ne erubescitis, inter quos primogeni-  
 „tus Ludovicus Ecclesiæ Matri optimæ  
 „nova erigit quotidie trophæa? hoc  
 „uno sane, vestra obstante pertinacia  
 „non satis felix, quod tametsi pro tue-  
 „do nomine Christiano multa in dies  
 „religiose & pie constituat, e suorum  
 „numero subditorum, qui a sacris pa-  
 „triis defecerunt sponte, & ad ritus  
 „alienos convolarunt, religionis trans-  
 „fugas, veteris militiæ desertores et  
 „tiamnum videat in suscepto errore  
 „permanentes: Isque adeo Christianissi-  
 „mus Princeps, qui nobis audientibus  
 „ajebat nuper, tanto studio cupere  
 „se, dispersas disjectasque partes ad  
 „Ecclesiæ unitatem revocari, ut id me-  
 „veri duceret gloriosum, vel Regii sui  
 „sanguinis effusione, atque etiam in-  
 „victissimi illius brachii diminutione,  
 „quo tot bella feliciter confecisset. Vos  
 „cipi, Regi vestro, plurimorum ac po-  
 „tentissimorum hostium Debellatori,  
 „omni genere triumphorum insigni eam  
 „palmam invidetis, quam cæteris  
 „omnibus anteponat? Cæterum dum  
 „vos



„vos ita compellamus, & ad pacis con- Sæc. XVII.  
 „silia hortamur, ne dicatis: Nolite nos A. C. 1682.  
 „quærere: nam hoc dicit iniquitas, qua  
 „divisi fumus, non charitas, qua Chri-  
 „stiani fumus. Memineritis, ita nobis  
 „mandatum esse a Spiritu veritatis &  
 „pacis per Prophetam, ut qui se negant  
 „esse Fratres nostros, iis dicere non  
 „desinamus: Vos estis Fratres nostri.  
 „At quod tempus offerri nobis oppor-  
 „tunius potest, vos ad Romanam Com-  
 „munionem revocandi, quam quo Ro-  
 „manam Ecclesiam gubernat Innocen-  
 „tius Pontifex, cujus vita & mores ad  
 „antiquioris & severioris disciplinæ for-  
 „mam exacti, perfectum Sanctitatis  
 „exemplar orbi exhibent Christiano?  
 „ut ad eum se adungere virtutis om-  
 „nis cultorem eximium, maximæ vir-  
 „tutis opus ad salutem perinde uti ad  
 „gloriam in vobis futurum sit. Quod  
 „si facere adhortantibus nobis perti-  
 „naci animo renuitis: si nec precibus  
 „vinci, nec flecti charitate, nec moni-  
 „tis adduci ad concordiam vultis, An-  
 „geli quidem pacis amare flebunt; nec  
 „tamen vos continuo, ut fieri par esset,  
 „erga nimium pervicaces, relinquemus  
 „vobis: sed per sepes & spinas oves  
 „Christi quærere non desinemus: & cum  
 „effecimus omnia, propter quæ mentes  
 „vestræ nobis reconciliari debuerint,

G 3

„pax



Sæc. XVII. „pax nostra demum, vobis eam tam  
 A. C. 1682. „officiose, tam sincere oblatam respuen-  
 „tibus, revertetur ad nos, nec am-  
 „plius requiret Deus animas vestras de  
 „manu nostra, & quemadmodum er-  
 „ror hic vester novissimus erit peior  
 „prioribus: sic erunt novissima vestra  
 „pejora prioribus. Verum tamen me-  
 „liora speramus, & saluti vestræ vi-  
 „ciniora.

## §. XV.

*Sexdecim conversionum Methodi Fran-  
 ciæ Missionariis a Clero Galli-  
 cano commendatæ.*

Ut autem Franciæ Præsules pii huius  
 operis executionem magis expedi-  
 tam redderent, Viris Apostolicis ad  
 hanc expeditionem sacram selectis va-  
 rios proposuere conversionum modos,  
 eorum prudentiæ relinquentes, quis-  
 nam attenta geniorum capacitate ma-  
 gis utilis, magisque accommodus esse  
 crederetur: Præscripserant autem sex-  
 decim methodos, quas potissimam par-  
 tem ex Bellarmini, Bossuetii, Barro-  
 nii, Richelii, Gretseri, Veronii, &  
 Maimburgi operibus deprompsere. Ha-  
 rum summam hic exhibemus.

I. Reformatis ad Romanam commu-  
 nionem esse redeundum, nisi velint esse  
 pessimi



peffimi schismatici, eoquod Lutheranis Sæc. XVII. A. C. 1682.  
 corporalem præsentiam in Eucharistia  
 statuentibus, fraternam communionem,  
 & S. S. Eucharistiam in Synodo Cha-  
 rentoniana obtulerint.

II. In religione tutiores, partes esse  
 eligendas, easque esse Ecclesiæ Roma-  
 næ, in qua saltem aliquem salvari  
 posse Christianum, Protestantes credunt.

III. Ex Antiquitate religionem re-  
 petendam esse, id est ex traditione, ac  
 scriptis Patrum, etsi ex sacra Scriptu-  
 ra, absque consequentiis.

IV. Protestantes hinc non posse  
 dogmata Ecclesiæ Romanæ refutare ex  
 S. S. cum ibi in terminis non dam-  
 nentur.

V. Ipsam Dordracenam Synodum  
 sua praxi docuisse, debere controver-  
 sias religionis autoritate definiri.

VI. Solam Ecclesiam Romanam esse  
 veram Ecclesiam, ut cui visibilitas per-  
 petua competat.

VII. Protestantium Ministros om-  
 nium vocatione ordinaria aut extraor-  
 dinaria destitui.

VIII. Ab Ecclesia dependere noti-  
 tiam canonicarum Scripturarum, ergo  
 & Religionis.

IX. Ecclesiam Romanam aliquando  
 saltem veram fuisse, hinc non potuisse  
 deficere.



Sæc. XVII. X. Romanæ Religionis dogmata male deformata esse a Ministris, relit-  
A. C. 1682. tuente & explicante illa Episcopo Con-  
 domensi.

XI. Agendum in religione motivis credendi, quibus pollet Romana præ aliis sectis, itemque in ea utendum esse præscriptione ad Methodum Tertulliani & Augustini.

XII. Ante Lutheranos & Calvinianos Ecclesiam Protestantium non fuisse, hinc falsam eam esse, quia novitia est.

XIII. Omne schisma esse iniquum, illudque nulla de causa esse faciendum.

XIV. Quærendum esse (methodo itidem Augustini) an Romana Ecclesia ante Reformationem fuerit vera vel non, si non: periit Ecclesia; si omnino; illam deserui non potuisse, nisi Novatiana & Donatistica imitatione.

XV. Romanam fidem ex ipsis Protestantium libris & confessionibus probari posse, cum diffiteri nequeant, cultum Romanum in invocatione Sanctorum, veneratione Reliquiarum, suffragiis pro Mortuis antiquis Sæculis obtinuisse.

XVI. Ostendi posse in Protestantium, etiamque reformationum fide contradictiones, ipsorum confessiones varietas esse, hinc vacillantem esse eorum Religionem atque incertam, ac denique



que nequidem cum Ecclesia græca con-  
 venientem in præcipuis articulis hodie  
 controversis.

Sæc. XVII.  
 A.C. 1682.

§. XVI.

*Hugonotarum pervicacia.*

Enim vero piis hisce conatibus non  
 omnis deerat optati successus pro-  
 speritas; cum enim non modo Missio-  
 narii, sed etiam Præsules, Regnique  
 Proceres subsidiis, instructione, man-  
 fuetudine, rationum momentis, bonis-  
 que exemplis errantes oves ad verita-  
 tis pascua reducere niterentur, non  
 pauci ex ipsis etiam Prædicantibus, er-  
 rores suos abjurarunt, imo plures ad-  
 huc victas veritati manus dedissent,  
 nisi alii Prædicantes famelici, unice  
 de pane suo solliciti, partim sparsis  
 ubique libellis, concitatisque seditioni-  
 bus, partim clamoribus, variisque  
 artibus & dolis suos in errore fovissent,  
 atque ad arma concitassent, uti postea  
 memorabimus: Non deerant etiam, qui  
 ostiatim cursitantes ad pertinacem sectæ  
 defensionem suos animarent, tituban-  
 tes erigerent, & conversos ad vomitum  
 sollicitarent: quoniam vero Lu-  
 dovicus Rex ad fidem reversos, ac  
 præcipue ob Religionis mutationem  
 damna passos largis cumularet bene-  
 ficiis,

Mem. chron.  
 & dogm.  
 Hode Hist.  
 de Louis  
 XIV. l. 41.  
 pag. 233.  
 Carol. mem.  
 p. 304.



Sæc. XVII. ficiis, Prædicantes, ut hanc conversionis illecebram præverterent, collectis ubique Eleemosynis necessaria ad victum pauperibus, labores opificibus, negotiationum commoda mercatoribus, & Nobilibus opulentas nuptias procurabant. Hæc Calvinistarum pertinacia Regem eo adegit, ut in illos, qui sectæ fanatismo ac contradicendi studio abrepti agnitæ veritati, ac Regiæ clementiæ contumaciter resisterunt, die vigesima nona Septembris edictum promulgaret, vi cuius præceptum, ut hi vel suis officiis abirent, aut Catholicam Religionem amplecterentur, illi vero, qui eorum fugam promovere præsumpserint, ad triremes damnarentur: insuperhabito tamen hoc Regis edicto quamplurimi in Angliam & Berolinum profugere, ubi tamen Lutheri disciplina ritibusque aliquamdiu uti cogebantur, donec tandem Brandenburgici Electoris indultu Gallicum Calvinismum profiteri permetterentur, in sua secta firmati ab Ellero, qui jam anno priori Jesuitam fidemque Catholicam exiit, ac Berolini sese Calvinistarum communioni palam addixit. Gloriosus autem P. Joannes Dezius itidem Jesuita ad promovendum Argentinensium Calvinistarum reditum ad Romanam Ecclesiam quarto post anno perutilem



utilem edidit librum, cujus vestigia Sæc. XVII. pariter pressit la Fevre, qui controversa Lutheri dogmata valde emollire conatus, e contrario nimiam Arnaldi vehementiam vel maxime improbavit. A. C. 1682.

§. XVII.

*Cerles Apamiensis Vicarii epistola ad Innocentium XI. Papam.*

Cum interim calamitates, quibus Gall. vind. Regalæ hostes premebantur, in p. 356. Galliis Indies auferentur, & Romæ diff. I. §. 8. Estræus Franciæ Legatus totus in eo esset, ut Pontificem ad confirmanda Cleri Gallicani acta induceret, Cerles Apamiensis Vicarius horum omnium haud ignarus, hostiumque calumniis pene oppressus, ex suis tenebris, in quibus delituit, denuo die septima Novembris querulas ad Papam literas desuper dedit hujus tenoris: „Quantus „ego sum, qui verbis meis loquar Vo- „biscum; video enim Vos Domine, sicut „Angelum Dei, & conturbatum est cor „meum præ timore gloriæ vestræ. Sed „recreat me erigitque non parum, quod „aureæ virgæ summitatem mihi non „semel osculandam porrexistis. Illam „nunc quoque precor porrigite, me- „que liberate a laqueo venantium, & „a verbo aspero.

„Ac-



Sæc. XVII. „Accepi, Beatissime Pater, esse  
 A. C. 1682. „Romæ, qui dicerent, quidquid in hoc  
 „usque tempus in negotio Regalix fa-  
 „ctum est, partim me incio factum,  
 „partim suafu atque impulsu Clarissimi  
 „viri Domini Favoritii Amanuensis Ve-  
 „stri actum esse.

„Qua de re, Pater Sanctissime, cum  
 „primum certior factus sum, risi pluri-  
 „mum (quod quidem Vestra pace dictum  
 „fit) improbi Sycophantæ socordiam,  
 „qui se putavit tam crassa calumnia,  
 „supinoque mendacio Romanam soler-  
 „tiam dexteritatemque in fraudem in-  
 „ducere, ac ipsos videntes obcæcare.

„Cæpi deinde & mihi, & Ecclesiæ  
 „timere vehementer. Intellexi nimi-  
 „rum cum ex hac novissima fraude,  
 „tum ex omni nequitix genere, quod  
 „est in perditissimæ causæ defensione,  
 „a Regalists adhibitum, Adversarium  
 „nostrum diabolum summo studio totis-  
 „que viribus in perniciem nostram in-  
 „cumbere; quippe qui nec viribus, quas  
 „habet permagnas, nec artibus, qui-  
 „bus potissimum valet, ulla ratione  
 „parcat.,

„Est illi (quod quidem magnus ob-  
 „servavit Gregorius) duplex in sacris  
 „litteris nomen, nam Leo vocatur, &  
 „Draco dicitur. Leo est, quia devo-  
 „rat, Draco quia decipit, utrumque  
 „nos



„nos cum in Galliis, tum extra Gallias, Sæc. XVII. A. C. 1682.  
 „quod arduo satis molestissimoque ex-  
 „perimento tristissimis istis temporibus  
 „edocti sumus. Hic enim Leo iste ad-  
 „versus nos tremendum rugit, fauces  
 „aperit, dentes stringit, ingentem de  
 „nobis stragem edit: Romæ vero  
 „Draco sibilat, multiplices se torquens  
 „in giros, totumque in nos, quod ge-  
 „rit intra viscera virus, evomit.

„Hic nos tanquam nimio studio Apo-  
 „stolicæ sedis addictos, maximeque Ca-  
 „tholicos ad internecionem Leo profe-  
 „quitur. Illic vero nos ut Vobis reli-  
 „gione minus, quam necessitate dedi-  
 „tos, ac heterodoxis nescio quibus so-  
 „cietate conjunctos, omni Vestro præ-  
 „sidio destituere, invisosque efficere to-  
 „tis viribus ac nervis Draco contendit.  
 „Hic Episcoporum agmina commovet,  
 „ut Vos (si Petrus finat) in ordinem  
 „redigat, Illic vero, quia Vestra di-  
 „gnitas in tuto est, charissima vobis  
 „capita per fraudem & insidias quærit  
 „elidere.”

„In Galliis Leonis furor equuleos  
 „parat, cruces erigit, exiliis nostris,  
 „fuga, ærumnis, cunctas Regni pro-  
 „vincias implet & terret: præterea  
 „universæ religioni bellum indicit, ho-  
 „mines impios & Satanæ traditos in  
 „interitum carnis, Sanctos habet: qui  
 „vero



Sæc. XVII. „vero sancti sunt, ex Ecclesiis elimi-  
 A. C. 1682. „nat, ac in vincula conjicit, monaste-  
 „ria in popinas ac lupanaria commu-  
 „tat, virgines expellit, Sacerdotes pel-  
 „sumdat, ejectis Pastoribus, ovibus  
 „Christi lupos præficit. Quid plura?  
 „Apostolicas literas, jussiones, Cen-  
 „suras aut stulto ludibrio habet, aut  
 „humana rabie conculcat. Denique  
 „cuncta gerit, quæ Vos ad cito tor-  
 „quenda fulmina, ad Vestram dignita-  
 „tem celeriter vindicandam, ad coet-  
 „tendam sine morâ improbitatem, ad  
 „tuendam summa festinatione innocen-  
 „tiam impellere, acuere, urgereque  
 „debent.

„At Romæ Draco vaserrimus calli-  
 „dissimusque trium annorum moris a-  
 „lias moras nequit. Hunc in suspicio-  
 „nem adducit, illum variis artibus in  
 „suas partes trahit, alios terret, alios  
 „allicit, cunctos dolo capit. Ad hoc  
 „nihil non pollicetur, nihil non menti-  
 „tur. Denique omnes machinas ad-  
 „hibet, ut de manu vestra, Beatissi-  
 „me Pater, fulmen excidat, ut Eccle-  
 „sia seruiat, ut improbitas tuta sit, ut  
 „pietas & innocentia profanis impiorum  
 „conatibus succumbat.

„Sed ne diutius vetera, & quæ  
 „sunt omnibus perspecta, commemo-  
 „rem, recentiora quædam, nec ita  
 „nota



„nota perstringam. Hoc ipso tempore, Sæc. XVII.  
 „Pater Sanctissime, quo ad pedes San- A. C. 1682.  
 „ctitatis Vestræ parvitas mea scribit,  
 „quinque sunt hujus Diæcesis Parochi  
 „carcere conclusi: octoginta vero, quo-  
 „rum sunt occupata obfignataque bona,  
 „non aliam profecto ob noxam, aliudve  
 „scelus, quam quia summo illo cæle-  
 „stique beneficio, Jubilæo videlicet à  
 „Vobis concessio, ad nostram vero exi-  
 „guitatem missio destinatoque; per-  
 „sancte usi sunt: quodque eorum non-  
 „nulli, quos error humanus fragilitas-  
 „que abduxerat, in se tandem reversi,  
 „quidquid recedendo peccaverant, a-  
 „mare flendo deleverant, tantaque per  
 „illos dies Salutis induti sunt virtute  
 „ex alto, ut a vestra fide & obsequio,  
 „nostraque Societate nullis terroribus,  
 „nullisque periculis divelli posse videan-  
 „tur. Denique quod eorum oves Pa-  
 „storum vocem audientes, necnon exem-  
 „pla sequutæ, tempore illo acceptibili  
 „cælestibus divitiis mirum in modum  
 „locupletatæ sunt, sedemque Apostoli-  
 „cam, unde opes illæ fluxere, ferven-  
 „tiori studio, pietate atque honore pro-  
 „sequuntur.

„Hoc vidit Tartareus Leo, nec tu-  
 „lit, cumque spirituales opes non pos-  
 „set auferre, temporalibus rapaces un-  
 „ques injecit. Diripiuntur Ecclesiæ,  
 „spo-



Sæc. XVII., „spoliantur Pastores, enecantur pau-  
A. C. 1682. „peres, quorum quidem pauperum,

„qui certe sunt; apud nos innumeri, to-  
 „tus ferme in Sacerdotum charitate  
 „census & vita est. Hanc crudelem  
 „vicem vestra mansuetudo, patientia,  
 „benignitas reposcebat? Hanc illam  
 „spem injecerat, qui ad solemne de  
 „tanta lite iudicium impediendum  
 „cuncta in Galliis e sententia vestra  
 „factum iri pollicitus est?

„Sed quamquam acerbissima ista  
 „sunt, omnique crudelitate plena, plus  
 „tamen improbitatis ac nequitiae vide-  
 „tur esse in illo, quem, ut diximus,  
 „ubique spargunt rumorem; cujus pro-  
 „fecto ille artifex est, qui in sacris lite-  
 „ris & mendax dicitur, & Pater men-  
 „dacii: me scilicet in his omnibus ne-  
 „gotiis non nisi larvam esse, me incor-  
 „suluto, me prorsus incscio fieri, quid-  
 „quid his temporibus geritur. Etenim  
 „si credendum est sycophantis, & ca-  
 „lumniae cusoribus, Literis Apostolicis  
 „debitum honorem non detuli, otiosus  
 „omnino fui, Regalistas non obtuli,  
 „illicitis Episcoporum Conventibus non  
 „intercessi. Hæc si ita sint, cur tam  
 „diu fugio? cur tam diligenter lateo?  
 „cur ubique paratas cruces invenio?  
 „Denique cur alios timeo, qui timeri  
 „poteram, si Belial quam Christi partium  
 „esse maluissim? „Este



„Eſto nihil fecerim, at multa paſ-  
 „ſus ſum pro Chriſto, Eccleſia, pro **Sæc. XVII.**  
 „Sanctiſſimis Canonibus. Hæccine **A. C. 1682.**  
 „quoque inficiabuntur? negabunt ne,  
 „cervicibus noſtris inſtitiffe carnificem,  
 „atque in imagine cepiſſe, quod utinam  
 „in corpore noſtro aliquando perficiat?  
 „Hæc eſt gloria noſtra, cujus ſplendo-  
 „rem nullum mendacium obſcurabit,  
 „quam nulla fraus, dolusque nullus aut  
 „minuere, aut nobis eripere poterunt.  
 „Hæc eſt gloria noſtra, quæ nos cla-  
 „riſſimis Chriſti Confefſoribus adnume-  
 „rat, Sanctiſſimis Epiſcopis conſociat,  
 „vobis iſſis Beatiffime Pater, fœdere  
 „ac ſocietate, quanta quidem inter  
 „Dominum & ſervum haberi poteſt,  
 „conjungit.

„At, inquiunt, ad cuncta, quæ  
 „præſtiti adeunda, Dominus Favoritius  
 „me impulit, ejus opera & conſilio in  
 „omnibus uſus ſum. Bene eſt, non  
 „poterant profecto res meæ geſtæ no-  
 „biliori calculo comprobari. Nec e-  
 „nim potui cuncta non recte peragere,  
 „tam ſapientem tamque rerum agen-  
 „darum peritum authorem ſecutus.

„Sed quamquam tam ſapienti moni-  
 „tori aurem præbuiſſe maximæ mihi  
 „laudi verteretur, indebitam tamen  
 „laudem non aucupor, qui meam, ſi  
 „quam haberem, arbitrarer ut ſtercora  
 „ut

*Hiſt. Eccleſ. Tom. LXV.*

H

„ut



Sæc. XVII. „ut Christum lucrifacerem: Favoritium

A. C. 1682. „quidem colo, revereorque; at Fave-

„ritio nihil penitus debere me sentio,

„nisi quantum a singulis Christianis de-

„betur homini, cujus sunt in Vos, in

„Apostolicam sedem, inque univrsam

„Ecclesiam ingentia merita.

„Aliud subjungam, Pater Beatiffi-

„me, audacius forte liberiusque, sed

„veniam, uti spero, audaciæ meæ Be-

„nignitas Vestræ non denegabit. Sit

„licet Favoritius vir usquequaque ma-

„gnus, licet illius industria, fidesque

„Vobis spectatæ probatæque sint, quod

„quidem singularis virtutis argumentum

„& præmium est, etsi pietatem illius,

„ingenium, solertiam Roma univrsam

„atque omnes omnino boni demirentur,

„quodque majoris est gloriæ (ut vult

„Hieronymus) licet illum hostes Ec-

„clesiæ detestentur, cumque gladiis ne-

„queant, verbo interficiant. Denique

„quamquam Favoritius ille sit, cui fi-

„deles omnes plurimum de Vestræ in

„illum Benignitate confidentes sublimio-

„rem gradum, amplioresque honores

„deprecentur, ac ne amplius Vestrorum

„potius, quam suorum adversariorum

„telis pateat, plenam dignitate securi-

„tatem exoptent. Quantus quantus sit,

„tamen multo minor multoque inferior

„iis est, quibus in negotio hoc toto

„Au-



„authoribus usus sum, Quinam vero Sæc. XVII.  
 „sint illi? Vos Pater Sanctissime, Pau- A. C. 1682.  
 „lus, Christus.

„Docuit me Christus cum verbo,  
 „tum exemplo pastoris munus esse, pro  
 „ovibus animam ponere. Monuit me  
 „Paulus, depositum ut custodirem.  
 „Vos ipsi jussistis, prælia Domini ut  
 „præliarer, utque fortiter in statione  
 „tam sancta permanerem. His duci-  
 „bus, his Authoribus movendum re-  
 „gendumque me tradidi. Favoritio  
 „nec notus sum, nec ille mihi. Certe  
 „nullas unquam ad illum literas misi,  
 „ab eo nullas accepi, ita me Deus  
 „adjuvet.

„Post confutata protervi calumnia-  
 „toris mendacia liceat, Pater Sanctif-  
 „sime, majus nostrum, imo totius Ec-  
 „clesiæ vulnus summo Medico aperire.  
 „Cum magno apud omnes bonos odio  
 „laborare sese intelligerent Patres So-  
 „cietatis Jesu, propter nefariam illam  
 „Probabilitatis doctrinam, nuper a San-  
 „ctitate Vestra magno fidelium plausu  
 „damnata, ut eam a se invidiam, mi-  
 „nime tamen mutata sententia, depelle-  
 „rent, sanxere in ultimo suo generali  
 „Conventu, opinionem illam, quæ pro-  
 „pius ad verum accedere videretur, ut  
 „plurimum esse sequendam. Quo pro-  
 „fecto Decreto non tam veritati consu-  
 „litur

H 2



Sæc. XVII. „litur, quam Ecclesiæ illuditur, quam  
 A. C. 1682. „sancta Sedes irridetur, quam error  
 „latibulum securitasque paratur.

„Hærendum, inquiunt, ut pluri-  
 „mum sententiæ probabiliori. Cur non  
 „semper? quod ratio suadet: quod sancti  
 „Patres admonent, quod canones præ-  
 „cipiunt. Cur non semper? cum omnes  
 „omnium fere Sanctorum Patrum pagine  
 „clament: in dubiis tutiorem partem esse  
 „sequendam? an aliquando peccare san-  
 „ctum est? an quandoque perire tutum?  
 „an Christus ut plurimum tantum est  
 „veritas? mavultque identidem videri  
 „& esse probabilitas? Videtur ut pluri-  
 „mum istud Semiarianorum alterum Ho-  
 „miusion, totum videlicet ad fallendos  
 „incautos, & fraudem occultandam  
 „compositum.

„Fas, inquiunt, interdum esto, ne-  
 „fas ut plurimum ex sententia minus  
 „probabili quidpiam aggredi. Vere de-  
 „fecerunt scrutantes scrutationes. Quid  
 „est, quod dixisti, o infelix astutia! o  
 „sententiam necessitate confusam! (ut  
 „ait Tertullianus) quod negatur, præci-  
 „pitur: quod licet, prohibetur: Cur sæ-  
 „pius duntaxat persequaris, quod sem-  
 „per quærendum sit? quomodo quod nun-  
 „quam fieri licet, interdum rite feceris?

„Sed quæ res tandem sequendi re-  
 „spiciendique opinionem probabiliorem  
 „tem-



„tempus præfiniet? Illa videlicet, to- **Sæc. XVII.**  
 „ties locum habebit sententia verifimi- **A. C. 1682.**  
 „lior, quoties res erit cum rusticis, ope-  
 „rariis, bajulis, ancillis, & id genus  
 „mulierculis, quarum sunt levissima  
 „nulliusque ponderis, & (quod caput  
 „est) nihil ad Societatem pertinentia  
 „negotia. Contra vero, quod minus  
 „probabile censebitur, id Probabilistæ  
 „sequentur, unde magnum sibi com-  
 „modum obventurum, aut grave peri-  
 „culum metuendum erit. Verbi gra-  
 „tia, si orta de Regalia gravis contro-  
 „versia fuerit, certentque invicem, il-  
 „lic quidem gens potentissima, opibus,  
 „honoribus, aliisque beneficiis assen-  
 „tientes cumulans, adversantes vero  
 „nullo non poenarum genere afficiens:  
 „hinc autem sancta Sedes futura tan-  
 „tum bona promittens, ac lentis fulmi-  
 „nibus parum (ut incredulis videtur) me-  
 „tuenda; tum liceat Jesuitis valedicere  
 „veritati, sibi que in sinu Probabilitatis  
 „perfugium & armamentum quærere.

„Obtineat opinio probabilior apud  
 „infimæ notæ Jesuitas plebemque, ut  
 „ita dicam, Societatis, regendis tenuio-  
 „rum conscientis mancipatam, & evan-  
 „gelizare pauperibus missam. Liberum  
 „vero sit ab ea recedere istius sacræ  
 „gentis Proceribus, quibus fors & glo-  
 „ria est stare semper ante Reges & Præ-  
 „fides.



Sæc. XVII. „fides. Non loquatur in istis Spiritus  
 A. C. 1682. „veritatis, libentius in Aula Spiritus  
 „Probabilitatis auditur.

„Hæc placita, aut monstra verius  
 „Conventus ille parturiit, Beatissime  
 „Pater, nec veriti sunt errorem illum  
 „lege sancire, cum in ipsa Urbe Roma,  
 „ubi omnis error configitur, tum sub  
 „oculis Sanctorum Petri & Pauli, qui  
 „fuerunt suntque maximi Præcones,  
 „assertoresque veritatis. Tum denique  
 „audiente spectanteque Innocentio Ur-  
 „decimo, per quem est probabilitas af-  
 „flicta, per quem est (ut speramus) ju-  
 „gulanda.

„Sed adeo ita facere non sunt ve-  
 „riti, ut maxime tali loco, talibusque  
 „testibus Decretum istud edere callidi  
 „homines quæsierint, studuerintque,  
 „ut si quando in impium dogma pietas  
 „erudita insurgeret, hac statim excu-  
 „satione occurrerent, carere haud  
 „dubie omni reprehensione, quod Ec-  
 „clesia Romana, quæ est veritatis fir-  
 „mamentum, quodque Innocentius XI.  
 „tantus Censor vidisset, nec arguisset.  
 „Sed erravit istorum hominum terrena  
 „animalisque Sapiencia, non feret pro-  
 „fecto, non feret Innocentius XI. Ur-  
 „bem Romam dehonestari tali partu,  
 „nec suum Pontificatum pollui tali  
 „probrio.

„Do-



„Doctrinas istas peregrinas, ut vo- **Sæc. XVII.**  
 „cat Apostolus, cum palam profitean- **A. C. 1682.**  
 „tur Patres Jesuitæ, tum Academias

„omnes, tum omnia Clericorum semi-  
 „naria impetu facto occupant. Inva-  
 „lere nuper Principis jussu, ac novo  
 „quodam productæ extensæque Rega-  
 „liæ jure Academias hujus Regni per-  
 „multas, & in his percelebrem illam  
 „Tholosanam. Idque agere ausi sunt  
 „inconsulta sancta sede; cum tamen  
 „Academix istæ omnino Pontificiæ sint,  
 „nec minoris Vestræ Ecclesiæ referat,  
 „Doctores scholis, quam Pastores Ba-  
 „silicis præficere, scriptum est enim:  
*Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos.*  
*Alios autem Pastores, & Doctores ad con-*  
*summationem Sanctorum, ad opus mini-*  
*sterii, in ædificationem Corporis Christi.*  
 „Tantum autem ex antiqua illa Acade-  
 „miarum vindicatione omnes boni ce-  
 „pere doloris, ut nemo eorum sit, qui  
 „non lugeat, quique tacite (neque  
 „enim palam licet) Apostolicæ Sedis fi-  
 „dem adversus injuriam hanc tantam  
 „non deposcat.

„Occupatis hostili more Academiis,  
 „castra movent in Seminaria (nam hoc  
 „quoque cætus Romanus censuisse di-  
 „citur) nec dubium est, quin primum  
 „omnium expugnandum sit Apamien-  
 „se. Cætera deinde nullo negotio subi-  
 „gentur.



Sæc. XVII „gentur. Quid enim hodie non obti-  
 A. C. 1682 „nent Jesuitæ Aulæ servientes, seu po-  
 „tius imperitantes. Eritque ista tum  
 „inventæ Regaliæ, tum propugnatarum  
 „adversus sanctam sedem fictitiarum  
 „Ecclesiæ Gallicanæ libertatum amplif-  
 „sima optatissimaque merces.

„Omiseram (cum istud contigerit  
 „si tamen contigerit) & ærumnosam  
 „Ecclesiam Apamiensem, ut cæteras  
 „Gallicanas præteream. Etenim Se-  
 „minario nostro præpositi Jesuitæ, sta-  
 „tim Sanctissimam illam disciplinam,  
 „quam immensis laboribus Episcopus  
 „noster restituit, quamve Sanctitas Ve-  
 „stra Apostolico iudicio comprobavit, la-  
 „befactabunt, penitusque subvertent.  
 „Nec aliud egregii Magistri Clericos e-  
 „docebunt, quam suas illas circa do-  
 „ctrinam morum portentosas opiniones,  
 „nuper a Sanctitate Vestra, atque a-  
 „lias ab Apostolica sede proscriptas.  
 „Denique id in seminario præstabant,  
 „quod strenue gerunt in Academiis, ubi  
 „post Probabilitatem, cui stabiliendæ  
 „firmandæque præcipue Societas in-  
 „cumbit, nihil antiquius habent, quam  
 „ut supposititias Ecclesiæ Gallicanæ li-  
 „bertates (quæ Turris est Babylonica  
 „certe) adversus sanctam Sedem erectas  
 „foveant ac tueantur.

„Su-



„Supereſt, Beatiffime Pater, ut Sæc. XVII.  
 „quod ſuperius antea feci, iterum vos A. C. 1682.  
 „etiam atque etiam rogem, ne ſinat  
 „Sanctitas Veſtra libertatem Eccleſiæ  
 „penitus interire, Religionem univer-  
 „ſam everti, Apoſtolicæ Sedis authori-  
 „tatem apud quosdam improbos pro  
 „nihilò haberi, optimos viros, qui Vos  
 „præcipua fide ac veneratione profe-  
 „quuntur, diutius opprimi, utque tot  
 „malis ſolemni de iſta controverſia ju-  
 „dicio feſtinet occurrere.

„Poſtulat hoc, Beatiffime Pater,  
 „non ſolum Veſtræ dignitatis ratio, tot-  
 „que optimorum virorum ſecuritas, ve-  
 „rum etiam ipſorum Regaliſtarum alio-  
 „quin deſperata ſalus. Subvenite illis  
 „ſalubri paternaque increpatione, ut  
 „non impleant peccata ſua ſemper, neve  
 „perveniat ira Dei ſuper illos ad finem.  
 „Etenim quoniam ipſis manus Veſtræ  
 „hucusque pepercerunt, incidunt quo-  
 „tidie in manus Dei viventis; quod  
 „quam horrendum ſit, Apoſtolus edo-  
 „cet. Porro Regaliſtarum miſerrime  
 „pereuntium, incidentiumque in ma-  
 „nus Dei innumera ſunt exempla, San-  
 „ctiffime Pater, unum tantum illud-  
 „que recentiffimum Sanctitas Veſtra  
 „non gravetur audire.

„Eſt quidam Jeſuita nomine Mei-  
 „nier Patri Confefſario perſamiliaris,

H 5

„qui



Sæc. XVII. „qui ampla & pinquia beneficia novo  
A. C. 1682. „illo Regalix jure aliquot suis Nepoti-  
 „bus impetravit, Horum Nepotum  
 „qui videbatur præcipuus, Canonicus  
 „Tholosanos effectus, eam vivendi ra-  
 „tionem instituit, quæ cæteris fere om-  
 „nibus Regalitis communis est. Inter  
 „cætera, quibus scatet, vitia, Pseudo-  
 „Canonicus infano ludendi furore labo-  
 „rat, totus in aleam incumbit, in illud  
 „baratrum omnes suas facultates, om-  
 „nes beneficii fructus, non perceptos  
 „modo, sed in multos annos percipien-  
 „dos, denique quidquid habet, quid-  
 „quid non habet, projicit. Hinc ad  
 „æes alienum convertitur, quo cito præ-  
 „paratus in maximas angustias redactus  
 „est. Instat creditor, fames urget,  
 „paupercula Mater inopiæ subsidium  
 „postulat. Torquet vero, cruciatur-  
 „que imprimis semper crescens, & ex  
 „ipsa paupertate, qua saltem domari  
 „debuerat, ampliores vires capiens in  
 „aleam flagitiosa propensio, quæ cuncta  
 „hominem ita turbant, agitant, mu-  
 „tant, ut cum alias esset ingenio non  
 „pœnitendo, stipis factus est inops.  
 „Oberrat tristis, anxius, cogitabundus,  
 „nusquam sibi constat, nusquam illi  
 „quies, rarus illi, aut nullus, vel cum  
 „collusoribus sermo.

„Ita



„Ita compositus, ita factus, iter in Sæc. XVII.  
 „patriam instituit, non quia melius in A. C. 1682.  
 „patria futurum erat, sed quoniam ipsi  
 „nunquam bene est. Transiens per Al-  
 „biam civitatem, quæ triginta circiter  
 „milliariis Tholosa distat, ibique dies  
 „aliquot demoratus, rem totam, siquam  
 „habebat, ludendo dilapidat. Paucu-  
 „lam deinde pecuniam mutui specie ab  
 „amicis emungit; hac quoque statim  
 „amissa tantus dolor infedit animo, tan-  
 „tusque furor mentem exagitat, ut nec  
 „aliorum consortium ferens, nec sui  
 „ipfius patiens domum in cubiculum  
 „confugerit. Quidquid ibi egerit, se-  
 „cumque dixerit, solus novit, qui cun-  
 „cta novit.

„Certe in eo, quo se clauserat loco,  
 „repente sclopeti fragor auditur, ac-  
 „curritur illico ab iis, qui proxime ad-  
 „erant, intrant cubiculum, circum-  
 „spiciunt hominem. O furorem! o  
 „scelus! invenitur miser humi porre-  
 „ctus, inversis oculis, distorto vultu,  
 „sine motu, sine halitu, denique pror-  
 „sus exanimis. Erat illi frons multis  
 „plumbeis glandibus trajecta, discuf-  
 „sumque hac illacque cerebrum. Cun-  
 „ctis attonitis, dolentibus, paventibus  
 „Prætor advenit, manuque ad cadaver  
 „injecta de parricidio diligenter inqui-  
 „rit. Verum Jesuitæ, quorum est in  
 „ea



Sæc. XVII., ea civitate, ut in cæteris omnibus sæ-  
A. C. 1682. „cularis multa potestas, veriti, ne  
 „multum ea res cum ipsorum Societati  
 „invidiam, tum Regalistarum factioni  
 „dedecus & ignominiam conflaret, si  
 „unus e Regalists insignioribus, si Je-  
 „suitæ Nepos, si Jesuitarum cliens &  
 „Assæcla parricida sui diceretur, idque  
 „tabulis publicis constaret, omnem la-  
 „pidem movent, ut omnis ea de re actio  
 „quæstioque sopiatur. Itaque traditur  
 „sepulturæ Christianæ cadaver, cujus  
 „utinam anima non sit in inferno se-  
 „pulta.

„Mirum est, Pater Sanctissime, quan-  
 „tum mors illa timorem animis injece-  
 „rit. Hac de re nemo non loquitur,  
 „nemo non pavet, estque omnium co-  
 „gitatio & sensus, universos Regalistas  
 „maledictos esse in omni opere suo; a-  
 „lios aliter tamen misere disperire. Con-  
 „statque universos Galliæ Clericos, præ-  
 „ter eos, quibus Jesuistica Probabilitas  
 „omnem Dei judiciorum timorem adi-  
 „mit, ac infauſtam conscientiæ securi-  
 „tatem conciliat, paratos esse fodere  
 „potius ac mendicare, quam infelicia  
 „ista beneficia inire, quæ quisquis ac-  
 „ceperit, induisse videtur maledictio-  
 „nem tanquam vestimentum.

„Hanc animorum præclaram ac plu-  
 „rimum commendandam affectionem,  
 „Bea-



„Beatissime Pater fovete, erigite, au- Sæc. XVII.  
 „gete illo solemnè judicio, Decretoque, A. C. 1682.  
 „quod Gallia universa, Christianissi-  
 „musque exoptat, quodque ego a Vo-  
 „bis, Pater Beatissime, postulo flagito-  
 „que per magnum illum Pastorem o-  
 „vium, qui jam ostium pulsat, repe-  
 „tens rationem villicationis nostræ, qui  
 „Petrum formidantem increpavit his  
 „verbis: *Modicæ fidei quare dubitasti?*  
 „qui fidem dedit, adversus Ecclesiam  
 „portas inferi non prævalituras, ne  
 „quis putaret, licere sibi portarum ista-  
 „rum formidine causam Dei deserere,  
 „aut segnius tueri. Qui multo antea  
 „Prophetam Ezechielem ita monuerat:  
*Fili hominis speculatorem dedi te domui*  
*Israel. Et audies de ore meo verbum, &*  
*annuntiabis eis ex me: Si dicente me ad im-*  
*pium, morte morieris, non annuntiaveris*  
*ei; neque locutus fueris, ut avertatur a via*  
*sua impia, & vivat; ipse impius in iniqui-*  
*tate sua morietur: Sanguinem autem ejus*  
*de manu tua requiram. Si autem tu an-*  
*nuntiaveris impio, & ille non fuerit con-*  
*versus ab impietate sua, & a via sua impia,*  
*ipse quidem in impietate sua morietur, tu*  
*autem animam tuam liberasti.* Per illum  
 „inquam, Pastorem, Beatissime Pater,  
 „tam fidelem in promissis, tam poten-  
 „tem in auxiliis, tam terribilem in ju-  
 „diciis, Sanctitatem Vestram precor,  
 „at-



Sæc. XVII. „atque obtestor, ut seipsam quamprimum securitati, & Ecclesiam libertati restituat.

## §. XVIII.

*Ejusdem literæ ad Patrem Hispanicum Jesuitam Collegii Apamiensis Rectorem.*

*Sfondrot. Gall. vind. diff. I. §. 8. p. 364.* Sub idem tempus crebro plurimum, propriæque experientiae testimonio innotuerat eidem Apamiensi Vicario, quod hujus Collegii Jesuitæ aut Regis gratiam aucupaturi, aut illius indignationem veriti præsens Ecclesiae schisma non sine Pontificii interdicti contemptu plurimum foverent, quocirca præfatus Vicarius ad Patrem Hispanicum Collegii Apamiensis Rectorem has transmisit literas: „Quia veri, legitimi- que Pastores non possunt non intempe commoveri, cum eorum, quos pascendos susceperunt, culpas erroresque spectare coguntur, ita argumentum acerbissimi doloris mihi est, quod experiar pergere Paternitatem Vestram, ejusque in Collegio Apamiensi socios, Romanæ sedi oblectari, nec velle obstinatæ in illam contumaciæ finem imponere. Enim vero ingens animi afflictio, quam ex vestra cæcitate percipio, illa est, quæ mihi

„cala-



„calamum in manus præbet, compel- **Sæc. XVII.**  
 „litque vobis ante oculos ponere gravi- **A. C. 1682.**  
 „tatem inobedientiæ, qua mandata  
 „summi Pastoris obstinate hætenus re-  
 „spuistis. Vereor equidem, ne operam  
 „perdam, nec aliud hisce meis literis  
 „profecturus sim, quam ut peccatum  
 „peccato addatis, intellecta videlicet,  
 „nec tamen observata veritate: si enim  
 „ausi estis Ecclesiæ caput visibile, ejus-  
 „que voluntatem contemnere, vobis  
 „tam enixe, & tanto cum apparatu in-  
 „sinuatam; qua ratione polliceri mihi  
 „possum, vos monitis auscultaturos sim-  
 „plicis Religiosi, quique inter ærum-  
 „nas & exilia vitam ægre occulteque  
 „sustentat, ut persecutiones effugiat,  
 „quas contra illum vos concitastis?  
 „Cæterum utcumque res cadat, & li-  
 „cet votis meis effectus non respon-  
 „deat, nec vos inducere ego possim,  
 „ut scandala reparetis, quæ vestra culpa  
 „in Ecclesiam Apamiensem induxistis,  
 „quæque illam hodiedum conficiunt;  
 „consequar illud saltem, ut mundus  
 „totus intelligat, me nihil penitus o-  
 „misisse, quo vos ad officium frugem-  
 „que reducerem. Et vero quis novit,  
 „an Christus mundi Salvator quique  
 „nonnisi modico sputo lumen cæco re-  
 „stituit, quis, inquam, novit, an ad  
 „animæ vestræ curandam cæcitatem  
 „ope-



Sæc. XVII. „opera mea, hoc est, vilissimo instru-  
A. C. 1682 „mento uti velit, quo magis divitias  
 „gloriæ suæ ostendat, absolutamque il-  
 „lam potestatem, qua omnium cordibus  
 „dominatur? Et vero nullum mihi gau-  
 „dium majus evenire posset, quam ut  
 „agnita tandem veritate ac errore de-  
 „posito, quo tenebamini, cum cæco illo  
 „Evangelico dicere possitis: *Cæcus cum*  
 „*essem, nunc video.* Ah nimium felices  
 „preces & monitiones meæ, si efficere  
 „possent, ut vos errorum vestrorum se-  
 „rio pœniteret; tunc enim mihi coram  
 „Deo gloriari liceret, quod fratrem  
 „meum lucratus essem, eumque in  
 „viam veritatis, a qua aberraverat, re-  
 „duxissem. „

„Hæc sunt, R. Pater, sincera erga  
 „vos animi mei sensa, de quorum ve-  
 „ritate si aliqua vos pulset dubitatio,  
 „testimonium moderatio & patientia  
 „illa perhibebunt, quibus contemptum  
 „excepi, quo Decreta mea ludibrio ha-  
 „buisstis; sed ego malui vobiscum cha-  
 „ritate & lenitate, quam vindicta ex-  
 „periri. Nec contentus vos generali  
 „& cum Clero universo admonitione  
 „complecti, precarique, ne funesto schis-  
 „mati faces subderetis, quo Ecclesia  
 „nostra miserrime inflammatur, pri-  
 „vata quoque monita adjeci, & vos  
 „nominatim flagranterque rogavi; ac  
 „cum



„cum prima nihil proficerent, plura & Sæc. XVII.  
 „plura identidem suggesti, duosque in- A. C. 1682.  
 „tegros annos rogando minandoque in-  
 „sumpsi, nullumque finem feci vos il-  
 „lius obedientiæ admonendi, quam Ec-  
 „clesiæ debetis: & tamen si quis in-  
 „mentem reducat, quantum hac chari-  
 „tate abusi fueritis, sincere fatebitur,  
 „indignos vos fuisse, quibus tantum  
 „charitatis & indulgentiæ impendere-  
 „tur; nam eodem tempore, quo Re-  
 „galistæ horrore & abominationi omni-  
 „bus erant, securi apud vos, vestris-  
 „que in ædibus morabantur, nullo a-  
 „nathematis metu, quo a sancto No-  
 „stro Antistite perculsi fuerant. Cum-  
 „que venerabiles illius cineres tumulo  
 „adderentur, Regalistæ ex vestris ædi-  
 „bus collegioque erumpebant, sacras  
 „exequias, piosque fidelium luctus,  
 „quibus Sanctissimo Præsuli parenta-  
 „bant, profanis precibus gaudiisque  
 „turbaturi, tantumque abfuit, vos isto-  
 „rum hominum sacrificia pro profanis  
 „impiisque habuisse, ut potius gloriæ  
 „adscriberetis, cum pluries in vestris  
 „Ecclesiis, invitantibus vobis, sacri-  
 „lege litarent, ut adeo sine injuria dici  
 „possit, funestum hoc schisma apud  
 „vos natum, educatumque, vestrisque  
 „in ædibus aras discordiæ excitatas  
 „esse; & tamen hæc omnia, quibus  
*Hist. Eccles. Tom. LXV.* I „San-



Sæc. XVII. „sanctissimas Ecclesiæ leges defædatis  
A. C. 1682. „prælua tantum pejorum fuere, que  
 „postea a vobis agitata sunt: si enim  
 „veritatem fateri volumus, cui tandem  
 „usurpatam ab Illustrissimo Archiepisco-  
 „po Tholosano Apamiensis Ecclesiæ au-  
 „toritatem, acerbissimam persecutio-  
 „nem in nos excitatam, & mille alias  
 „calamitates, quæ hanc nostram Diœ-  
 „cesin inundarunt, cui, inquam, hæc  
 „omnia mala nisi Societati vestræ ad-  
 „scribemus, immensoque desiderio,  
 „Diœcesin hanc nostram Regaliæ sub-  
 „dendi, vitamque regularem, quæ in  
 „hac Ecclesia observatur, penitus de-  
 „lendi? Plane Pater la Chaise id du-  
 „dum animo conceperat, crediditque  
 „nunquam opportunius deduci in opus  
 „posse, quam Ecclesia Apamiensi suo  
 „Pastore viduata; hunc in finem Vicarii  
 „Generales, quos Capitulum elegerat,  
 „in carceres detrusi, Canonici Refor-  
 „mati exilio proscripti, alius denique  
 „Vicarius Generalis a Tholosano Archi-  
 „episcopo submissus, ut videlicet per  
 „tot machinas tandem in manus ex-  
 „communicatorum Ecclesia nostra de-  
 „poneretur. Hujus Vicarii sacrilega  
 „intrusio nihil aliud effecit, quam ut  
 „Clerus totus miserando schismate scin-  
 „deretur; quippe aut revereri amplecti-  
 „que oportebat usurpatam potestatem,  
 „aut



Sæc. XVII.  
A. C. 1682.

„aut persecutionibus subiacere, quas  
 „contempti vindicta excitasset; quam-  
 „vis non defuerint quamplures Ordinis  
 „Ecclesiastici, qui maluerint & bono-  
 „rum jacturam, & libertatis facere,  
 „quam verum legitimumque Pastorem  
 „deserere, aut qui animo erant minus  
 „ærumnarum tolerante, non prius in-  
 „trusum admisere, quam carceribus  
 „exilioque propositis. Soli vos Regu-  
 „larium fuistis, qui Fortassini desiderio  
 „flagrare visi estis; hinc ut primum  
 „Apamiis comparuit, vos illius aucto-  
 „ritatem primi agnovistis, vos obedien-  
 „tiam jurastis, quippe qui probe intel-  
 „ligebatis, illi nomen Vicarii Genera-  
 „lis, vobis auctoritatem & Dominatum  
 „in Diæcesin universam fore. Eodem  
 „quoque momento, quo ille Apamiis  
 „visus est, sex e vestris Patribus Con-  
 „fessionalia occuparunt, tantoque im-  
 „petu in sacras hæc functiones involare  
 „observati estis, ut nemo non crederet,  
 „vos tanta festinatione velle damna &  
 „solitudinem vestram præteritam com-  
 „pensare, quando videlicet expiatio  
 „animarum interdicta vobis fuerat.  
 „Tunc ergo omnes, ac etiam obstina-  
 „tissimi peccatores ad veniam admitte-  
 „bantur, & sanguis Redemptoris, tam  
 „caute olim ab Episcopo nostro sanctæ  
 „memoriæ administratus, nullo pror-  
 „sus



Sæc. XVII., sus discrimine delectuque in obvius  
 A. C. 1682., quosque fundebatur. Regalistsæ ipsi  
 „quamvis anathemate percussi denue-  
 „tati que, pacem conscientiæ, quam  
 „flagitiis amiserant, privilegiis Indul-  
 „gentiaque vestra reperturos sperabant  
 „& vero absolventibus vobis pacem re-  
 „pererunt, sed fallacem miseramque  
 „nec minus recipienti inutilem, quam  
 „funestam offerenti, quæque id tantum  
 „effecit, ut peccatores semper magis  
 „magisque obstinarentur, sensumque  
 „omnem ac dolorem conscientiæ amitt-  
 „terent, quo uno sanari revocarique ad-  
 „frugem poterant; per hæc omnia morti-  
 „feræ plagæ sunt Ecclesiæ Apamiens-  
 „a vobis inflictæ, & nemo fere est,  
 „qui non id ingenue agnoscat; quippe  
 „non id tantum agitis, neque hoc solo  
 „contenti estis, ut alieni intrusique Pe-  
 „storis vocem audiatis, sed etiam or-  
 „dinem ac disciplinam illam deletis,  
 „qua Apamiensis Ecclesia ante alias in  
 „Gallia floruerat, eratque nuper admi-  
 „rationi; unde est, ut Societas, quam  
 „cum Regalistsis, nostræque auctori-  
 „tatis usurpatoribus contraxistis, vos om-  
 „nibus bonis exosos reddat, instarque  
 „filiorum, qui materna viscera arrodant,  
 „ignemque dissensionis ac discordiæ sinu  
 „suo circumferant foveantque. Sed &  
 „illud delictum ac pertinaciam vestram  
 „exag-



„exaggerat, quod videlicet recordari Sæc. XVII.  
 „adhuc liceat, Episcopum nostrum glo- A. C. 1682.  
 „riofæ memoriæ, quamvis, quod de  
 „Moyse legimus, omnium hominum  
 „plane mitissimum, nihilominus ob fi-  
 „mille delictum tres e Societate vestra  
 „Patres anathemate percussisse, Cælo  
 „quoque, ut vos ipsi scitis, contem-  
 „ptum vindicante: ac utinam illius  
 „pœna exemplo vobis fuisset, ut saltem  
 „dicere de vobis liceret, quod olim  
 „de schismaticis sui temporis Cypria-  
 „nus: *Qui Christo non crediderant Sacer-*  
*dotem facienti, credere postea incipiunt*  
*Christo Sacerdotem vindicanti.*

„Cæterum tantum abest, vos tam  
 „formidando iræ divinæ exemplo ab-  
 „sterritos esse, atque ad animum re-  
 „duxisse, quo apud Deum loco sint,  
 „qui voces legitimi Pastoris audire re-  
 „cusant, ut potius consideranti mihi,  
 „quam ex pristinis moribus nihil muta-  
 „veritis, quantoque contemptu Ro-  
 „mani Pontificis Brevia exceperitis,  
 „vereri liceat (id quod sine intimi do-  
 „loris sensu proferre non possum) vos  
 „ex eorum numero esse, qui in peccatis  
 „obdurantur, quique de malo in pejus  
 „semper proficiunt; eo enim audaciæ  
 „profecti estis, ut non solum Episcopi  
 „Apamiensis monita ludibrio vobis fue-  
 „rint, sed etiam Principis omnium Epi-  
 „sco-



Sæc. XVII. „scôporum, supremique Ecclesiæ Pa  
 A. C. 1682. „storis ac Vicarii Jesu Christi monita  
 „vocesque pari contemptu acceperitis;  
 „quoties enim ne funesto huic schis-  
 „mati vos implicaretis, neve Tholo-  
 „sani Archiepiscopi auctoritatem in Ec-  
 „clesiam Apamiensem dominatum usur-  
 „pantis agnosceretis, non Patris taci-  
 „tum affectu monuit, verum etiam ju-  
 „diciis severitate prohibuit, majorem  
 „Excommunicationem comminatus?  
 „vicistis tamen, & a sententia vos dimo-  
 „vendos non preces Romani Pontificis,  
 „non minæ quidquam profecere. Utque  
 „delicti vestri ac pertinaciæ magnitudo  
 „tegeretur saltem, cum deleri non pos-  
 „set, illud artificii excogitastis, ut pa-  
 „lam passimque spargeretis, Breve Apo-  
 „stolicum confictum fuisse suborna-  
 „tumque. „

„Cumque Romani Pontificis Soli-  
 „citudo hunc quoque prætextum vicif-  
 „set, datis ad Provinciale vestrum  
 „authenticis Bullæ suæ copiis, num-  
 „tot tergiversationum, productæque in  
 „longum contumaciæ tunc saltem vos  
 „puduit? imo pertinaciam auxistis,  
 „ipso Provinciali vestro delicti com-  
 „plice, & apud Senatum Tholosanum  
 „Pontificem Romanum deferente, ac  
 „velut Patriæ hostem, Regniq[ue] Gal-  
 „lici turbatorem accusante.

„Nihil



„Nihil ergo mirandum, si, cum ta-  
 „les sint, qui Societatem vestram gu-  
 „bernant, ii quoque, qui ab eorum  
 „nutu exemploque pendent, iisdem  
 „moribus, iisdemque exemplis imbuan-  
 „tur. Id nuper apparuit in Rectoribus  
 „Apamiensis Collegii, ut juventute im-  
 „prudenter, ita Majorum imitatione  
 „præfervidis inconsultisque; ii ergo  
 „non contenti apud discipulos suos me-  
 „moriam Antistitis Apamiensis despi-  
 „cabilem reddere, temeritatem suam  
 „eo usque perduxerunt, ut seditio-  
 „sis de Romano Pontifice colloquiis, &  
 „contemptum spirantibus, sacram illius  
 „auctoritatem (quam naturali quadam  
 „veneratione fideles omnes reverentur)  
 „deflorare haud erubescerent. Scio  
 „equidem magnitudinem criminis par-  
 „tim fervore & imprudentia ætatis,  
 „partim Seniorum exemplis, quibus  
 „seducti illi sunt, utcumque elevari  
 „posse; sed tamen neque illud negari  
 „debet, Deum nec ætate, nec impru-  
 „dentia cohiberi solitum, quo minus in  
 „hujusmodi delicta severe non animad-  
 „vertat, id quod exemplo patuit pue-  
 „rorum Elisæum Prophetam irriden-  
 „tium. „

„Enim vero, mi Pater, expecta-  
 „bant omnes, ut quæ a Patribus hujus  
 „Provinciæ perperam gesta fuerant,



Sæc. XVII. „Societas vestra improbare, retrahere  
 A. C. 1682. „retque, culpa in paucos privatosque  
 „revoluta: Verum spes ista fefellit, nam  
 „quæ vos improbe designastis, tantum  
 „abfuit ab aliis esse damnata, ut po-  
 „tius Societas tota nihil magis cura-  
 „verit, quam ut tam indignis auctori-  
 „tatem præstaret, palamque faceret,  
 „non aliquorum tantum membrorum,  
 „sed corporis totius hanc pervicaciam  
 „morbumque fuisse. Et ipse quoque  
 „Provincialis vester cum Archiepiscopo  
 „Tholosano certare vilus est, uter ma-  
 „gis alterum superaret contemptu Pon-  
 „tificis. Sed & qui in Societate annis  
 „& auctoritate aliis præstabant, cum  
 „de Vicario Christi sermo incideret,  
 „pari cum juvenibus immoderantia  
 „loquebantur, adeo, ut, nisi apud ple-  
 „rosque præ vestris exemplis honestas  
 „fuiſſet, & Apostolicis brevibus, quæ  
 „pro Regalia Romanus Pontifex dede-  
 „rat, illusum esset, & duo Sanctissimi  
 „Episcopi pro hæreticis habiti, quos  
 „tamen idem Pontifex præclarissimus  
 „encomiis exornaverat. Denique adeo  
 „palam nulloque pudore Societatis ve-  
 „stræ Patres bellum indixere Vicario  
 „Christi, ut nemo non dubitaret, vos  
 „ob damnatam Romæ Theologiam ve-  
 „stram moralem, confixosque Societa-  
 „tis auctores, vindictam hac saltem via  
 „mo-



„molitos esse. Expavit Gallia tam in- Sæc. XVII.  
 „dignam agendi rationem, tamque a- A. C. 1682.  
 „lienam a spiritu vestrorum fundato-  
 „rum; & quamvis jam alias omnium  
 „animi offensi essent, quod viderent in  
 „Societate vestra, quæ in Christianis  
 „dogmatibus imbuendæ Juventuti a-  
 „perta fuerat, scribi docerique tam cor-  
 „ruptos, sacrisque Evangeliiis adversos  
 „morum aphorismos; imo qui purio-  
 „rem doctrinam amplecteretur, sævis-  
 „sima persecutione a vobis pulsari; ni-  
 „hilominus tamen cum tanta cum pom-  
 „pa apparatuque fidelitatem & obe-  
 „dientiam erga sedem Apostolicam o-  
 „stentaretis, nemo non credit, vos  
 „hujus reverentiæ memores privatos  
 „erga Magistros vestros affectus impe-  
 „rio Romani Pontificis submissuros, etsi  
 „hactenus tam flagranti studio menda-  
 „cis patrocinati eratis, id ex incon-  
 „sulto potius Zelo, quam contemptu  
 „provenisse. Nunc vero postquam pa-  
 „lam ostendistis, nullo apud vos loco  
 „esse Romani Pontificis jussa, quam,  
 „rogo, sententiam de vestra Societate  
 „homines ferent, quando vident, eam  
 „nunc in hanc, nunc in illam partem  
 „rapi, seque ubicumque majus lucrum  
 „& commoditas fuerit, tempori ac fa-  
 „voribus accommodare, eamque au-  
 „ctoritatem, quam aliquando ad cælos  
 „us-



Sæc. XVII., que extulerant, jam depositam velle  
A. C. 1682. „abrogatamque? Me quod attinet, ve-  
 „niam dabit, si ingenue fatear, cum  
 „turbas & discordias cogito a vobis in  
 „Ecclesia excitatas, & illas inter secre-  
 „tas preces gemitusque Deo meo ex-  
 „pono, vehementer vereri, ne vaticini-  
 „um Sorbonicæ scholæ de vobis com-  
 „pleatur; quando videlicet rogata, an  
 „recipi in Gallias Societas vestra debe-  
 „ret? Vestro instituto regulisque ma-  
 „ture examinatis, tunc temporis cum  
 „nullo privato affectu ducebatur, nul-  
 „lamque rationem habebat, ob quam  
 „odio vos prosequi aut amore deberet.  
 „In hanc sententiam prorupit: *Hæc So-*  
 „*cietas videtur pacis Ecclesiæ perturbatio.*  
 „*Et magis in destructionem, quam ædifi-*  
 „*cationem.*

„Et vero quid timeri non debet a  
 „corpore tam vasto, tam præpotenti,  
 „ut vestra Societas est, & cuius uni-  
 „cum studium est, Principes ac Magna-  
 „tes hujus Sæculi sibi devincire, vitam  
 „ex regulis mundanæ politix prudenti-  
 „tixque instituere, & nihil non legiti-  
 „mum ducere, quidquid ex opinionum  
 „probabilium indulgentia Societati am-  
 „plificandæ fervire potest? & plane ne-  
 „gari haud potest, probabilium opinio-  
 „num beneficio quamplurimos prætex-  
 „tus & colores vobis obvenisse obve-  
 „landæ



„landæ pertinaciæ & inobedienciæ ve- Sæc. XVII.  
 „stræ; imo cum illæ non solum gravif- A. C. 1682.  
 „simas quoque culpas excusandi virtute  
 „polleant, verum etiam in pulcherri-  
 „mas virtutes transformandi, nullus  
 „dubito, persuasum vobis esse, quanto  
 „magis obsequium Romano Pontifici  
 „abnuitis, tanto perfectius vos Regi  
 „obedire, perinde ac si ignorare debea-  
 „tis, contra Decreta & Constitutiones  
 „Ecclesiæ non licere Principibus Sæculi  
 „obtemperare, ac præsertim in ea caus-  
 „sa, in qua nemo nescit Regis Christia-  
 „nissimi pietatem a duobus postremis  
 „Confessariis, qui illius conscientiam mo-  
 „derabantur, esse circumventam. Quod si  
 „tamen fidelitatis vestræ in Principem  
 „fuit, contra Pontificis Romani repe-  
 „tita Decreta Regaliam tueri, quid rogo  
 „est causæ, ut vos fidelitatis hujus  
 „Romæ pudeat? Nihil enim Romæ Pa-  
 „tres vestri ardentius curant, quam ut  
 „Romano Pontifici persuadeant, Jesui-  
 „tas, qui in Galliis commorantur, in-  
 „noxios esse, nec se huic causæ um-  
 „quam implicasse. Hæc, mi Pater,  
 „tam omnibus sunt nota, ut jam nemo  
 „amplius dubitet, vos spiritu erroris  
 „ac mendacii agitari, cujus enim cer-  
 „tissima nota est pro temporum, loco-  
 „rum, & circumstantiarum varietate  
 „sententiam mutare. Vos præcipui &  
 „ar-



Sæc. XVII. „ardentissimi Regaliæ Promotores estis,  
 A. C. 1682. „idque tam notum & vulgatum est, ut  
 „nemo id ignoret. Vos primæ faces  
 „& auctores ejus schismatis, quo Ec-  
 „clesia nostra tanto jam tempore con-  
 „sistatur, idque tamquam egregium  
 „facinus gloriæ vobis ducitis. Vos de-  
 „nique non alia magis ratione apud Re-  
 „gem effecistis, ut in plerasque hujus  
 „Regni Universitates admitteremini,  
 „quam quod nimio & indefesso studio  
 „Regias partes sustinendi, Pontificis  
 „gratia excideretis, & tamen audetis  
 „interim Romæ Pontifici persuadere,  
 „nihil a vobis contra Apostolicæ Sedis  
 „Decreta, nihil contra reverentiam ei  
 „debitam agitatum esse. Quid est hoc  
 „aliud, mi Pater, quam velle primam  
 „culpam majori adhuc flagitio non tam  
 „tegere, quam cumulare, & quo pœ-  
 „nam evadatis inobedienciæ ac rebel-  
 „lioni vestræ debitam, non erubescere  
 „Deo, & Spiritui Sancto in ejus Vica-  
 „rio mentiri, perinde ac sicut istum de-  
 „cepistis, ita & illum decipere liceret,  
 „cui tamen omnia secreta cordis, ar-  
 „canæque etiam cogitationes apertæ &  
 „manifestæ sunt

„Hujus ergo tam districti Judicis æ-  
 „quitate, si vobis ad mentem revo-  
 „care otium esset, intelligeretis utique,  
 „quantum vestra intersit tandem ad me-  
 „liorem



Sæc. XVII.  
A. C. 1682.

„liorem frugem redire, ac vehementi  
 „timore concuti, ne is causam Eccle-  
 „siæ aliquando suscipiat, vindicetque  
 „Vicarii sui contemptum, & vos tan-  
 „quam vasa ignominiaë quæque domum  
 „Dei profanant potius debonestantque,  
 „quam ornant, cum fastidio rejiciat.  
 „Hæc sunt, mi Pater, inobedientiaë &  
 „pertinaciaë vestraë, nisi illam abrum-  
 „patis, funesti effectus, quosque vobis  
 „ante oculos ponere animus mihi fuit,  
 „ne videlicet argui aliquando possem,  
 „partibus officii mei defuisse, utque ma-  
 „jori cum fiducia usurpare possem illas  
 „Apostoli voces: *Contestor vos, quia*  
 „*mundus sum a sanguine vestro; non enim*  
 „*subterfugi, quominus annuntiarem omne*  
 „*consilium Dei vobis.* Si ergo in præsen-  
 „tibus literis meis acrius forte vobis-  
 „cum locutus sum, quam alioqui ge-  
 „nius meus ferat, cogitate, non id a  
 „me factum alio fine, quam ut justa,  
 „& delicto vestro par severitas eum tri-  
 „stitiaë sensum in vobis produceret, quæ  
 „est secundum Deum, quæque in pec-  
 „catoribus mater est veræ pœnitentiaë;  
 „utque necessitate ultima Ecclesiaë re-  
 „media in vos experiendi. Hæc unica  
 „caussa fuit, ob quam non ea vobiscum  
 „lenitate agere potui, qua alioquin  
 „optassem, atque utinam liceret vobis  
 „intimas animi mei fibras penetrare,  
 „vide-



Sæc. XVII. „videretis nulla me contra vos indigna-  
 A. C. 1682. „tione, aut desiderio vindictæ permo-  
 „veri, nec persecutionibus, quas in  
 „me excitastis, quidquam illius chari-  
 „tatis minutum esse, quam Pastoralis  
 „a me Dignitas exposcit; si enim odio  
 „& vindicta omnes Christiani prohiben-  
 „tur, quanto magis Sacerdotes, pri-  
 „mique Jesu Christi Ministri, quos glo-  
 „riari oportet, ac intimo gaudio per-  
 „fundi, quoties *digni habiti sunt pro no-*  
 „mine Christi contumeliam pati. Quodsi  
 „Deus tanto me beneficio affecit, quan-  
 „tum est pro ejus gloria privari liber-  
 „tate, ac vitæ periculum quotidianum  
 „adire, quæ rogo, insania esset, fructus  
 „tot laborum amittere, tamque indi-  
 „gnis profanisque affectibus cor incen-  
 „dendum præbere? Officium, quo de-  
 „fungor, est officium charitatis, amor-  
 „que ac Sollicitudo veri Pastoris etiam  
 „ad errantes oves profertur, & tunc  
 „quoque, cum virgam levat cæditque  
 „immorigeras, non sine suspirio sensu-  
 „que intimi doloris id facit. Testor  
 „Conscientiam meam, me ne charitati  
 „quidem in vos defuisse, ipsique, qui  
 „alioqui non æquis in me animis sunt,  
 „fateri debent, nihil a me non lente  
 „matureque peractum esse, omnique  
 „passione procul. Delictum & inobe-  
 „dientia vestra cum publica essent, se-

cre-



„cretis monitionibus curari non pote- Sæc. XVII.  
 „rant. Palam ergo vos monui, sed A. C. 1682.  
 „cum nihil proficerem, nec dignare-  
 „mini Constitutionibus meis deferre,  
 „ad Ecclesiam vos detuli: sed hanc  
 „quoque sprevistis, cum videlicet per  
 „os visibilis sui capitis ad vos loquere-  
 „tur. Quid ergo supererat mihi, nisi  
 „videlicet delicti vestri complex esse,  
 „patique vellem, ut alii quoque exem-  
 „plo vestro perverterentur; quid, in-  
 „quam, supererat, quam ut infectum  
 „membrum a reliquo corpore separa-  
 „rem? atque utinam, mi Pater, hunc  
 „ictum, quem ego nonnisi invitus ac  
 „lacrymantibus oculis inferre cogor,  
 „declinaretis! Precabor interim Divi-  
 „nam bonitatem, ut ipsa verbis meis  
 „eam aspergat efficaciam, quæ tandem  
 „devicto pudore, quo tam multi ab-  
 „sterrentur, permoveamini, & deli-  
 „ctum vestrum agnoscere, & digna  
 „pœnitentia expiare; sic enim tam  
 „Christiano & heroico facinore scanda-  
 „lum abolebitis, quo tam multos of-  
 „fendistis, meque ineffabili gaudio per-  
 „fundetis, compensato dolore, quo ob  
 „pervicaciam vestram acerbissime con-  
 „fectus sum.„

§. XIX.



Sæc. XVII.

A. C. 1682.

§. XIX.

*Sententia de usu scientiæ in confessione habitæ proscripta.**Argentre**Coll. jud.**t. 3. p. 354.*

Vulgabatur a quodam Doctore sequenti propositio: *Scientia ex confessione acquisita uti licet*, cum autem propterea gravis oriretur tumultus, præfatus Doctor illam explicabat, addita hac limitatione, *dummodo fiat sine directa et indirecta revelatione, Et interveniat dominum pœnitentis, atque in casu, quo alius multo gravius ex non usu sequatur, in cuius comparatione prius merito contemnitur.* Re Romam delata, sacra Inquisitionis Congregatio jussu summi Pontificis die decima octava Novembris statuit, præfatam propositionem, quatenus admittit usum dictæ scientiæ cum gravamine pœnitentis, omnino prohibendam esse, etiam cum dicta explicatione, siue limitatione, Et præsentis Decreto prohibet, ne quis ultra audeat talem doctrinam publice, aut privatim docere, aut defendere sub pœnis arbitrio sacræ Congregationis infligendis. Mandantes etiam universis Sacramenti pœnitentiæ Ministris, ut ab ea in praxim deducenda prorsus abstineant.

Pariter eadem S. Congregatio proscripsit die decima quarta Aprilis sequentes libros, quorum primus: *Splendor veri-*



veritatis moralis collatus cum tenebris mendacii per *F. S. Emonnerium. II. Statera opinionum benignarum in controversiis moralibus per Andream Mendo.* Sæc. XVII. A. C. 1682.

§. XX.

*Spinolæ Episcopi Tinenfis conatus in concilianda Protestantium concordia.*

Hoc item anno Roccus Comes de Spinola Tinenfis Croatiae Primas impigro prorsus labore ad plurimas Principum Protestantium Aulas in Germania eo fine contenderat, ut nova concordia Ecclesiasticæ inter Catholicos & Protestantes sancienda consilia proponeret, atque inter alia unionis capita Protestantibus spondit, se obtenturum, Concilium quoddam generale, cui Protestantes non ut rei, sed ut Assessores & iudices assisterent, & anathemate solvendi essent, si vicissim Papam non pro Anti-Christo, sed supremo Christiani Orbis Patriarcha haberent. Pollicebatur etiam communionem sub utraque specie & Sacerdotibus, si velint, conjugii licentiam esse concedendam, salvaque bona Ecclesiastica a Protestantibus hucusque usurpata: Hæc pluraque alia ante futurum Concilium amica transactione esse expectant.

*Weism. hist. Eccl. p. 735. Carol. mem. l. 9. p. 297.*

*Hist. Eccles. Tom. LXX. K pe-*



Sæc. XVII. A. C. 1682. pedienda spondebat Spinola, & quamvis non pauci haud immerito dubitarent, eum hæc a Pontifice, vel a sacro propagandæ fidei Collegio, ut Protestantibus proponeret, in mandatis habuisse, nihilominus ex Protestantibus Theologis non deerant, qui ejus consiliis manus darent. Habuit etiam Spinola colloquium Bernhusæ cum Joanne Adamo Osiandro & Woelflingo Lutheranis Doctoribus, necnon cum Heidelbergensibus Calvinistis: parum tamen eum in meditatæ concordæ negotio profecisse constat, quinimo non paucis ejusdem consilia partim temeraria, partim suspecta videbantur, quos inter Ludovicus Maimburgus Jesuita, qui non ita pridem suam *Calvinismi historiam* ediderat, Spinolæ tanquam *hominis privati conatum publice improbatum.*

## §. XXI.

*Calvinistarum rebellium progressus in Hungaria.*

*Han. Panon. nov. p. 509. Theatr. Europ. c. 12.* Interim Emericus Teckelius Protestantium rebellium Dux & Caput crebras pacis consultationes, quibus Cæsar seditiosos ad obsequium revocare nitebatur, partim subdolis promissis, partim duris admodum conditionibus subinde propositis suo successu  
fra-



frustrari nitebatur: nihilo quoque me- Sæc. XVII.  
 liorem exitum fortita est Alberti Ca- A. C. 1682.  
 praræ legatio Constantinopolitana: Ve-  
 zirius enim arrogancia haud toleranda,  
 Cæsari vicennales obtulit inducias, quas  
 tamen centies quatuor florenorum mil-  
 libus emeret, simul etiam potissimam  
 cis Tibiscum regionem Sultano cedi,  
 perduellibus omnia restitui, & Leopoldum  
 arcem solo æquari petiit. Sane  
 nec apertius bellum denuntiare potuisset;  
 cum ergo Leopoldus Cæsar ob impendens  
 Turcarum bellum, & hostiles rebellium  
 Hungarorum motus imperio contra Gallos  
 tuendo solus impar esset, cum Suecis,  
 Batavis, aliisque Imperii Ordinibus  
 armorum societatem iniit, cui etiam  
 Hispani pro defensione pacis Neomagiensis  
 accesserant: interim vero Cæsar adversus  
 Töckelium, eique fœderatos Turcas exercitum  
 sexaginta tribus armatorum millibus validum  
 in Hungariam eduxit; nuntiatum enim  
 erat, quod Turcæ Nitriam versus excurrentes  
 jamjam quadringentis in di-ram servitute  
 abstractis, cæsisque quamplurimis omnia  
 rapinis atque incendiis longe lateque  
 funestarent, ac Töckelius promisso  
 quadraginta aureorum millium tributo  
 annuo, sese Turcarum protectioni  
 subjecerit, atque a Sultano in Hungariæ  
 Principem Budæ

K 2

pro-



Sæc. XVII. A. C. 1682. proclamatus validas militum suppetias a Turcis & Abaffio Transylvano receperit. Enimvero rebellis hic Protestantium Ductor jamjam Barbarorum copiis, & Gallorum pecuniis auctus, rapido victoriarum cursu Zatmarium, Calfoviam, Tochaium, Eperesium, Fillickum ac potiore superioris Hungariæ partem expugnavit, simulque metanetam, cum epigraphe: *Pro Deo & Patriæ libertate: cudi, seque Hungarorum Ducem nominari jussit: nec his contentus, ut pro more rebellium religionis studium obtenderet, ubique Catholicos Sacerdotes expulit, & Prædicantes per Germaniam exules revocavit, necnon scholas, & utriusque sectæ sacra restaurari curavit.*

## §. XXII.

*Vera Protestantium conjuratio contra Carolum II. Angliæ Regem.*

**T**andem ita disponente Dei Providentia sensim apparuit, nonnisi ex malitia ac fidei & Catholicum Regni successorem excludendi studio nuperæ conjurationis fabulam in Anglia a Puritanis fuisse confictam, Catholicisque imputatam. Jamjam passim pro fatuis habebantur illi, qui Papistarum seditionem fuisse veram propugnarent, hinc  
nova



nova Protestantium conjuratione de- Sæc. XVII.  
 tecta, ultio parabatur in eos, qui tam A. C. 1682.  
 horren- di, cruentique commenti Autho-  
 res exstiter-: Præterea Fridericus Har-  
 ris Hibernus Londinensis Turris Præ-  
 fecto fatebatur, quod Protestantes in  
 Carolum Regem conspirarint, eumque  
 in vinculis tenere decreverint, donec  
 eorum votis ac postulatis plene satis-  
 fecisset; hunc tamen Puritani Ordinis  
 plebæi Senatores, ne conjurationis con-  
 ficios proderet, capitis damnarunt:  
 Samson quoque Tongius comprobatum  
 reddere paratus erat, quod ejus Pa-  
 rens, cum Tito Oate Catholicorum con-  
 spirationem confinxerit: quocirca Oates  
 in carceres conjectus, suo stipendio,  
 seu verius innoxii sanguinis pretio, pri-  
 vabatut, severiore pœna dignissimus,  
 nisi sceleris sui atrocitas Judicum con-  
 siliis olim nimium proficua fuisset: E-  
 nimvero inferioris Curixæ Senatores ex-  
 tremum admovere arietem, ut medi-  
 tatam Eboracensis Ducis exclusionem  
 ad exitum deducerent: unanimi quo-  
 que consensu decretum condidere, vi-  
 cujus Regi, nisi hanc exclusionem sta-  
 biliret, subsidiarias pecunias assignare,  
 vel mutuas eidem dare, sub perduel-  
 lionis pœna inhibitum: e contrario au-  
 tem Cantabrigiensis Universitas pero-  
 rante Cowero Pro - Cancellario, deci-  
 dit,

K 3



Sæc. XVII. dit, mortuo Rege regnum ad ejus fra-  
 A. C. 1682 trem Eboracensem Ducem pleno jure  
 devolvi, eoquod Regia auctoritas a solo  
 Deo derivetur, & Reges duntaxat su-  
 premo Numini de suis actionibus ratio-  
 nem reddere teneantur ac possint, nec  
 etiam vel Religionis diversitas, vel par-  
 ticularis lex ullo pacto ordinem, qui  
 ex primitiva Monarchiæ Constitutione  
 oritur, invertere valeat: Scotorum  
 quoque Parlamentum statuit, quod  
 Scotiæ diadema ex innato jure, Mo-  
 narchiæ natura, & fundamentalibus  
 Regni legibus ad proximum hæredem  
 devolvatur, non obstante Religionis di-  
 versitate. Cum igitur Puritani, De-  
 cem a solii jure excludi posse, despe-  
 rarent, saltem veterem Regni guber-  
 nationem invertere moliti sunt: Hos  
 inter præcipue Schasburius Comes ju-  
 ratus Catholicorum hostis in ipsius Re-  
 gis, ejusque Fratris Eboracensis Ducis  
 vitam conspiravit, ac quamplurimos  
 nefandi criminis socios sibi adjunxit,  
 quos inter constitutum est, ut utrum-  
 que Angliæ ac Scotiæ Regnum con-  
 dicta die vigesima septima Novembris  
 ad rebellionem excitaretur, ac ipsemet  
 Comes Regi vitam eriperet, ceteri vero  
 in hisce Provinciis civiles Magistratus  
 tollerent: Tumultui dabatur initium  
 Withaliæ, ubi seditiosi effigiem Eboracensis



census Ducis delevere, ac in frustra di-  
 scerpserunt, atrociora in ejus quoque  
 Personam tentaturi, nisi impia eorum  
 consilia ad multorum præcipue Catho-  
 licorum suspicionem tempestive adducta  
 fuissent: Hi enim pro ea, quam il-  
 lis Religio instillat, fidelitate Regem  
 suum rogabant, ut suæ, sui que Fratris  
 vitæ mediis necessariis prospiceret: Ea-  
 propter Rex Schafburium, qui vulgo  
*Protestantium Comes* vocabatur, unacum  
 quatuor aliis ad Londinensem Turrim  
 captum abstrahi iussit, inde tamen Co-  
 mes a supremo Judice, qui ad infir-  
 mandas omnes Regiæ partis accusatio-  
 nes nil nisi *ignoramus* respondere, a Pu-  
 ritanis jussus, per ludibrium *Judex*  
*ignoramus* nominatus est, tanquam in-  
 nocens e carcere dimittebatur: cum  
 autem conjurationis telam, quam ex-  
 orsus erat, prosequi totis viribus nite-  
 retur, sui vero complices tardiori se ap-  
 paratu ad consilii executionem accin-  
 gerent, ipse gravioris supplicii metu  
 percussus, in Hollandiam præcipiti fuga  
 contendit, ubi etiam sub initium sub-  
 sequentis anni infausta morte suæ cru-  
 delitati, ac perfidiæ finem imposuit,  
 nec tamen suo fato feralis seditionis fo-  
 mitem extinxit, cujus ope Calviniani  
 novo conjurationis incendio Londinum  
 funestarunt: Præluferant Scotiæ Pro-  
 testan-

Sæc. XVII.  
 A. C. 1682.



Sæc. XVII. A. C. 1682. testantes, qui Regis sui, Ducisque regimini, ac legibus pertinaciter sese opponere, affixisque publicis declarationibus plures ad novam rebellionem concitare non erubuerunt, quinimo quædam etiam ipsius Senatus decreta in ignem conjicientes, pudendo sane fanaticismo ipsum Regem excommunicarunt: Ex his præcipue in opem vocabant quendam mulierculam, quæ sese *suavem Cantatricem* appellitans, Ramscyum Prædicantem Regi addictum in Templi cathedra duris verberibus affecit, crinibusque prehensum per scabæ gradus deorsum traxit. Vocabatur hæc furia in iudicium, quam tamen adeo suæ proterviæ non pœnituit, ut non modo in suos Iudices, sed & in ipsum Regem diris criminationibus omnem bilem effunderet: quapropter capitis supplicio promeritas sui furoris pœnas dedit.

## §. XXIII.

*Charonense Monasterium penitus destructum, atque intercepti Portu-Regiensium libri.*

*Hode vie de Louis XIV.* Jam supra meminimus, quod Innocentius XI, edita Bulla electionem novæ Superioris in Monasterio Charonensi confirmavit, ac Parlamenti decretum, quo  
*l. 40. p. 219.*  
*Abregé de l'Hist. Eccl.*  
*t. 13. p. 439.*



quo Abbatissa per regiam nominatio- Sæc. XVII.  
 nem intrusa protegebatur, irritum de- A. C. 1682.  
 clararit: cum vero hæ Moniales Pon-  
 tificis mandato obtemperarent, inde *Confid. sur*  
 iterato Parisiensis Archiepiscopi, Regii- *les aff. de*  
 que Confessarii indignationem sibi ac- *l'Ecclise &c.*  
 cersebant. Hi enim suam aucto-  
 ritatem harum pertinacia graviter læ-  
 sam rati, ad ultionem denuo Parla-  
 mentum incitarunt: Accessit insuper ea  
 iniquitas temporis, quo Gallicani Cleri  
 Præsules ob Pontificis Bullas contra  
 Regaliam, & Gallicanæ declarationis  
 causam editas irritati, liberius Curia  
 Romanæ obloquebantur: unde Rhe-  
 mensis Archiepiscopus ulcus refricandi  
 occasionem nactus, in pleno Præsulum  
 confesso perorans exposuit, „Regi Su-  
 „periozem nominandi potestatem jure  
 „regalium competere, nec Papam de-  
 „buisse ad simplicem Monialium rela-  
 „tionem in propria causa, parte altera  
 „non audita, sine judiciali cognitione,  
 „& re nec appellationis via, nec dene-  
 „gatae justitiæ titulo Romam devoluta  
 „Judicem agere, minus vero irrita de-  
 „clarare, quæ auctoritate Regis atque  
 „Archiepiscopi acta fuissent. Hanc e-  
 „nim agendi rationem sacris Canoni-  
 „bus, & Ordinariorum juribus palam  
 „adversari.„ Quamvis Præsulum po-  
 tissimis haud incognitum esset, quod



Sæc. XVII. tota Charonensis causa summo Pontifici non modo per solas Monialium relationes, sed plurium etiam Præfulum & Procerum querelas plene perspecta fuisset, & aliunde in notoria Regalium causa, ubi de Ecclesiastica libertate agitur, haud requiratur judicialis causæ cognitio, nihilominus collisionem cum sede Apostolica honestandi necessitas ceterorum applausum extorsit; his eo pronius suffragabatur Parlamentum, quod edito decreto cunctas Moniales in exilium detrudi, & Monasterium dividendi præcepit: mox igitur emittuntur regii satellites, qui has Virgines vi comprehensas e suo Asceterio extrahunt, in Templo Altaria evertunt, sacraque loca profanant: Miserae autem Moniales ad rusticorum villas, aliae suis laboribus, aliae mendicato victum quæsituræ profugiunt, non paucæ in extremas ærumnas conjectæ, misere pereunt.

Eodem anno Mense Octobri Archiepiscopo Parisiensi nuntiatum, quod Portu-Regienses Theologi quamplurimos libros sacræ Sedi, Regi, ac Præfulibus injurios, ac præsertim secundam Arnaldi Apologiam pro Catholicis contra Juriei Prædicantis Calviniani calumnias necnon reliquam primæ Apologiæ partem, & lectionem  
S. Scri-



S. Scripturæ contra Maletum, ad va- Sæc. XVII.  
 rias urbes devehî molirentur: Inde a- A. C. 1682.  
 cuebatur vigilantia Archiepiscopi, qui  
 annuente Rege in præcipuis Franciæ  
 urbibus advectas mercium cistas per-  
 lustrari iussit, nec inutili cautela; quip-  
 pe haud multo post deprehendebantur  
 in oppido sancti Dionysii quidam fasci-  
 culi, quibus ejusmodi libri erant com-  
 pacti, eodemque tempore ibidem de-  
 tinebatur quidam nauta, qui quatuor  
 ejusmodi sarcinas ad Duboium Diony-  
 siopolitani Nosocomii Sacellanum dire-  
 ctas advexerat: quocirca hic idem Cle-  
 ricus unacum pluribus aliis hujus doli  
 confectis custodiæ datur: insuper paulo-  
 post quidam auriga tres iterum fascicu-  
 los ad præfatum Sacellanum directos  
 Rothomago adduxerat: mox ergo  
 auriga a Prætore interrogatus, hos  
 libros sibi a P. Du Breuil Oratorii Sa-  
 cerdote commissos fuisse fatebatur: hic  
 igitur ad carceres ducitur, pluresque  
 alii, ad quos hi libri directi erant, aut  
 exilio, aut pecuniaria multa, aut diu-  
 turno ergastulo multantur, & quam-  
 vis Du Breulius se rei inscium, & a  
 quodam scurra deceptum fuisse testare-  
 tur, ad varios tamen carceres rapta-  
 tus, diu graves perpeffus est æumnas:  
 cum autem Abbatia San - Cyrani, cui  
 Abbas olim præerat Barcos celebris  
 Por-



Sæc. XVII. Portu-Regienſis Scriptor, famoſa eſſet  
 A. C. 1682. illa officina, ex qua ejusmodi libri ma-  
 gno numero prodierant, hinc illo fatiſ  
 functo Abbas, ut vocant Commenda-  
 tarius, cunctos Religioſos inde detur-  
 bari petiit: nec ejus propoſito deerat  
 Pater de la Chaiſe, qui a Rege decre-  
 tum impetravit, vi cujus præcipui hu-  
 jus Abbatix Religioſi in varia monaſte-  
 ria amandati fuere. Ceterum inter-  
 ceptorum ejusmodi librorum Authorem  
 fuiſſe Arnaldum, ipſemet prodiderat ſua  
 epiſtola, quam ad Tellierum Rhemen-  
 ſem Archiepiſcopum die decima ſeptima  
 Januarii anni ſequentis perſcripſit.

## §. XXIV.

*Rationaliſtarum ſecta in Anglia.*

Ab eo tempore, quo novandi prurigo,  
 novasque Religiones ad arbitrium  
 ſub Reformationis obtentu procudendi  
 libertas invaluit, omnes ſectarii in te-  
 nebris Andabatarum more inter ſe di-  
 gladiabantur, certa que fidei regula, ſci-  
 licet infallibili Eccleſiæ auctoritate de-  
 ſtituti, veluti parvuli fluctuantes omni  
 falſitatis, dubique vento circum-  
 acti, in univerſalem Pyrrhorismum  
 prolabebantur: hos inter alii non-  
 niſi ea, quæ ratio dictat, credenda exi-  
 ſtimant, ipſamque religionem rationi oppo-



oppositam esse, proin in dogmatum Sæc. XVII.  
 scrutinio nullam omnino sui intellectus, A. C. 1682.  
 unice vero divinæ revelationis ratio-  
 nem esse habendam tenent: alii e con-  
 trario solam rationem censent esse in-  
 fallibile medium ad cognoscendas fidei  
 veritates: inde vero tam in his quam  
 in illis continua fervet credendorum  
 anxietas, quam, ut tantisper sedare  
 possint, humanæ rationi in Religionis  
 criterio plus, minusve tribuunt, ac  
 sensim in Deismum, vel naturalismum  
 declinant, se prudentum religionem  
 adoptare gloriantes: Tales jam dudum  
 in Anglia invaluerant, potissimum vero  
 his temporibus suorum numero pluri-  
 mum excreverant: tradebant illi, ho-  
 minis rationem non adeo ignorantia  
 tenebris esse obnubilatam, quominus  
 sufficiens, satque illustrata sit ad inve-  
 niendam salutis æternæ semitam: ex  
 his multi non quidem penitus rejicie-  
 bant revelationem Divinam, nec Chri-  
 stum esse Mediatorem, ac Salvatorem  
 negabant, nullum tamen damnari cre-  
 debant, qui Christianæ fidei mysteria  
 non percepit, aut adhibita omni dili-  
 gentia intellectum suum ad revelata in-  
 ducere nequit, dummodo veritatem  
 serio quærat, & a vitiis, quæ natura &  
 recta ratio reprobrat, abstineat. Reli-  
 gionem igitur universalem fabricabant,  
 ex



Sæc. XVII. ex universali rationis principio, ex quo  
A. C. 1682. etiam sine auxiliis gratiæ, vere divi-  
 num lumen, satisque aptum ad cognoscendum colendumque Deum inferebant, tantamque de clementia Dei spem faciebant, ut etiam cum Origine nequidem de dæmonum salute desperarent, imo religionum diversitatem Deo placere statuerent, proin nec Turcis, nec idololatræ nec Atheis cælum abnegarent, solos autem ab æterna salute excluderent, qui vitam priorationis iudicio carnalem agunt: solam ergo virtutem & applicatum a Deo meritum Christi, etiam absque Verbi prædicatione & usu Sacramentorum, aliisque fidei articulis statuebant esse salutis viam, in plures, quarum una est expeditior altera, semitas dissectam: His erroribus facem prætulit Spinosa unacum suis affectis Belgii Protestantibus, qui Cartesii Philosophia abusi, supremum etiam in religione dominatum rationi vindicarunt, atque inter eos quidam in Academia Francouerana Anno 1686. publice docuit, *Scripturæ Divinitatem non aliunde quam ex ratione adstrui posse, eosque errare, qui asserere sustinent, si ratio aliud quid nobis dicitaret, quam Scriptura, huic potius esse credendum.* Huic doctrinæ pariter accessere Joannes Deswaeyn & Hermannus Roel Theologiæ Professores, quos tamen



tamen acriter impugnavit Ulricus Hu-  
berus edito libro *de concursu Rationis & A. C. 1682.*  
*Scripturæ.*

## §. XXV.

*Quædam summi Pontificis & SS. Congregationum decisiones.*

Haud parum mærorem, quem sum-  
mus Pontifex ob Gallorum Præ-  
sulum molimina conceperat, tempera-  
bat lætitia, quam ex cujusdam schis-  
matici Præsulis obsequio retulit: Erat  
is Blasius sive Volas Archiepiscopus  
Samacensis ad mare Caspium, qui eju-  
rato schismate sese cum suis die vige-  
sima Aprilis summo Pontifici subjecit:  
sibi que Operarios submitti rogavit, ad  
institutionem Christianorum, qui *sub*  
*Turcarum dominio jacent velut ranæ in ore*  
*serpentum.* Hoc tamen Pontificis gau-  
dium tantisper imminuit levis conten-  
tio cum Galliarum Regis Oratore; cum  
enim Papa pro proxima quorundam  
beatificatione literas Apostolicas expe-  
dire pararet, atque ad Hispaniæ, Fran-  
ciæ & Lusitaniæ Regum preces hoc  
negotium promovisse significaret, mox  
Franciæ Orator has literas immutari,  
suumque Regem ceteris præponi po-  
stulabat: Obstitit Hispaniæ Legatus,  
utrumque tamen conciliabat Pontifex,  
asse-



Sæc. XVII. afferens, hac in caussa non Regum præ-  
 A. C. 1682. rogativas, sed communes Regnorum  
 preces attendi. Præterea cum Bifa-  
 cienses Ordines ad exemplum Guipa-  
 scoanorum habito solemni conventu san-  
 ctum Ignatium in Provinciæ suæ Pa-  
 tronum adoptassent, ejusque festum  
 quotannis die quinta Novembris cele-  
 brari peterent, Pontifex hanc electio-  
 nem juxta Decretum Congregationis  
 Rituum confirmavit, sicut & summa-  
 rium Indulgentiarum & facultatum &c.  
 Sodalitati Servorum B. V. Mariæ Do-  
 lorosæ. Declaravit insuper, quod sacra  
 exercitatio a Puellis statum Religiosum  
 aggredientibus fieret per decem dies con-  
 tinuos tam ante receptionem habitus,  
 quam ante Professionem.

Die autem decima quinta Januarii  
 S. Congregatio Episcoporum decidit,  
 quod Confessarii Regulares, sed non  
 Parochi, degentes in Conventibus, in  
 quibus non plures quam duodecim Re-  
 gulares morantur, admoneri, non tamen  
 compelli possint ab Ordinariis ad con-  
 ferentiam casuum conscientiae: die au-  
 tem vigesima quarta ejusdem Mensis  
 ad petitionem Monialium Benedictina-  
 rum Diæcesis Marsicanæ S. Congrega-  
 tio Rituum respondit, quod habentes  
 privilegia celebrandi Octavas in quadra-  
 gesima, non ideo faciant commemora-  
 tionem



nem in feria quarta cinerum, sed de- Sæc. XVII.  
beant recitare preces, Psalmos, Gra- A. C. 1682.  
duales &c. & servent omnino rubricas  
dictæ feriæ quartæ, dicantque Missam  
Conventualem de feria: Officia autem  
Sanctorum ad libitum etiam duplicia,  
occurrentia in diebus Dominicis, Octa-  
vis, & Natalitiis Sanctorum alicujus  
Religionis vel Diæcesis, ex vi Kalen-  
darii proprii a sede Apostolica approbari,  
quamvis sub ritu semiduplici de præ-  
cepto celebranda, non sint transferen-  
da, sed omittenda: si autem occurrant  
eodem die, in quo alias aliquod festum  
translatum poni deberet, tunc liberum  
sit eadem Officia ad libitum recitare,  
& officium translatum ulterius in aliam  
diem non impeditam transferre: prout  
etiam, omisso Officio, quod semel per  
Hebdomadam aut per Mensem ex Apo-  
stolico Indulto recitari concessum est,  
officium ad libitum eodem die occur-  
rens recitari possit,

Pariter Congregatio Episcoporum  
die duodecima Martii præcepit Confes-  
sariis Monialium, ut in audienda infir-  
mæ confessione, januam cellæ apertam  
relinquant, & ambæ Comites Confes-  
sarium, atque infirmam videant, quin  
audire possint. Statuit insuper die de-  
cima tertia Junii sacra Rituum Congre-  
gatio, quod Regulares teneantur ce-

*Hist. Eccles. Tom. LXV. L le-*



Sæc. XVII. lebrare sub ritu duplici primæ classis  
A. C. 1682' cum octava festum Dedicationis & Ti-  
 tularis Ecclesiæ sui Conventus, si vero  
 Officium ad libitum non potuerit cele-  
 brari, & habuerit etiam ritum simpli-  
 cem de præcepto, eo anno non omit-  
 tatur, sed celebretur ritu simplici. Præ-  
 terea S. Concilii Congregatio decidit,  
 quod Canonici sine consensu Episcopi  
 pro servitio Sub - vel Diaconi non possint  
 libere alios substituere, si a Dignita-  
 tibus Missa solemniter celebratur. Motu  
 autem dubio ab Hispalensibus S. Officii  
 Congregatio die vigesima tertia Septem-  
 bris declaravit, quod si forte ob infir-  
 morum copiam oleum Sanctum defice-  
 ret, Parochus possit oleo Benedicto su-  
 peraddere sæpius oleum non Benedic-  
 tum, dummodo singulis vicibus minor  
 quantitas non benedicti addatur, quam-  
 vis consideratis additionibus simul jun-  
 ctis major esset quantitas non benedicti,  
 eadem quoque Congregatio die vigesi-  
 ma octava Novembris decrevit, quod  
 nemo valeat assignare diem fixum San-  
 ctis translatis sine speciali decreto, pro  
 officia Sanctorum proprio die celebren-  
 tur, & si sint impedita, transferantur  
 in primam diem non impeditam.



§. XXVI.

Sæc. XVII.  
A. C. 1682.

*Monasteriensis Synodi decreta.*

Hoc item anno Ferdinandus de Fürstenberg Princeps ac Monasteriensis Episcopus denuo die decima tertia Octobris Diæcesanam habuit Synodum, in qua tamen sicut nec in illa, quam eodem anno tempore Vernali celebrabat, quicquam speciale occurrit, præterquam quod statutum sit, ut Diæcesis Clerici Ordinis primarii & secundarii, etsi aliis temporibus veste linea & candida, in adventu tamen & Quadragesima pennullis quibusdam seu palliolis nigris hucusque in choro usi fuerint, deinceps semper per totum annum duntaxat candida, quam in prima tonsura de manu Episcopi acceperunt, vestiti comparerent, denique præceptum, ut quisque pro suæ jurisdictionis officio in transgressores decretorum Synodaliū celeriter, & absque litium ambagibus perquam severe animadvertat.

*Concil. Germ.  
tom. 10.*

§. XXVII.

*Fridericus Hassiæ Landgravius Cardinalis fati functus.*

Illustre Decus, ac sacri Collegii ornamentum hoc anno Roma amisit ob-

*Ciacon. in  
vita Innoc. X.  
Carol. mem.  
p. 178.*

L 2



Sæc. XVII. eunte Friderico Hassiæ Landgravio:  
A. C. 1682. Hic in Calvini secta innutritus, cum de  
 veritate suæ Religionis dudum anxius  
 hæreret, e patria sua in Italiam con-  
 tendere statuit, ubi etiam Divino af-  
 flante Spiritu sese falsarum opinionum  
 commentis deceptum agnovit, ac die  
 sexta Februarii anno hujus sæculi tri-  
 gesimo sexto suavissimo Ecclesiæ Catho-  
 licæ jugo Patavii cervicem suam sub-  
 jecit: Bienniopost Equestrem Ordinem  
 S. Joannis Jerosolymitani professus, ac  
 post unam & viginti bellicas expeditiones  
 supremus per Germaniam Magister  
 electus omnium suffragiis communique  
 applausu Triremium Præfecturam ob-  
 tinuit, quo in munere tam strenue Tur-  
 cas infectatus est, ut in eorum conspectu  
 sex piratica navigia diriperet: Postea  
 itinere Romam, tum Viennam, ac de-  
 mum in Hispaniam facto a Philippo IV.  
 Rege Archithalassus ac Sardinia Præ-  
 fectus, a Cæsare autem Belgici exerci-  
 tus Dux nominatus Cameracum ab hoste  
 cinctum liberavit: Deposito demum Bal-  
 teo militiæ Sacræ nomen dedit, atque  
 ad Cæsaris preces Cardinalis creatus  
 Romam se contulit, ubi sacri Imperii &  
 inclytæ Nationis Germanicæ, necnon  
 Regnorum Arragoniæ & Sardinia Pro-  
 tector, ac Cæsareus ad Romanum Pon-  
 tificem Orator renuntiabatur, pluribus  
 Sacris



Sacris Congregationibus aggrega- Sæc. XVII.  
 tus, ubique præclara prudentiæ, ac A. C. 1682.  
 maturi in decidendo iudicii specimina  
 edidit. Eminuit præcipue charitatis  
 ac munificentiæ studio, præsertim peste  
 Romam depopulante: tum enim sæ-  
 pius per diem plures urbis Regiones  
 percurrens, morbo affectos invisit, om-  
 nemque impendit operam, ne vel ullus  
 periret derelictus: eodem quoque pie-  
 tatis ardore ad pauperum casas conten-  
 dit, eosque partim Eleemosynis larga  
 manu effusis, partim procuratis medi-  
 camentis adjuvit: Postea anno hujus  
 sæculi octogesimo primo die decima  
 nona Februarii Wratislaviensi Episco-  
 patu auctus, ac Roma eo profectus vi-  
 tam multis virtutibus ornatam pro-  
 duxit, usque ad hunc annum, quo die  
 vigesima quinta Februarii anno æta-  
 tis suæ sexagesimo sexto, non sine  
 summo totius Germaniæ & Italiæ luctu  
 pie in Domino obiit: Edi curavit suis  
 impensis Irenicum Catholicum a Tho-  
 ma Henrici compositum ac Friburgi  
 Brisgoiæ Anno 1659. typis impressum.

§. XXVIII.

*Beati Gregorii Barbadici Cardinalis  
 obitus.*

L 3

Eodem



Sæc. XVII.

A. C. 1682.

*Hist. des  
Concl. app.*125.  
*Eggs Purp.  
doct. l. 6.*

p. 464.

Eodem anno fatis functus creditur Gregorius Barbadicus patria Venetus, qui ab ipso ineuntis ætatis tyrocinio præclaram virtutis ac ingenii indolem literarum studio excoluit, eaque solertix atque ingenuitatis specimina dedit, ut quamvis annum ætatis vigesimum nondum attigisset, iudicii tamen maturitate senum prudentiam æquare videretur, quocirca adhuc Adolefcens ob egregias animi dotes ad Monasteriensem Convantum comes & Consiliarius Aloysio Contareno Reipublicæ Legato a Senatu adjunctus est; indè vero Venetias reversus, animum ad graviores disciplinas adjecit, ac publicis muneribus cum maxima laude defunctus, Romam venit, ubi ab Alexandro VII. qui hujus Viri merita ac virtutes jam Monasterii sibi sat perspectas habuit, Sacerdotio inauguratus, & uttiusque Signaturæ Referendarius, ac Prælati Domesticus & demum Bergomensis Episcopi renuntiabatur: Hanc Ecclesiam tanta vigilantia, ac disciplinæ studio rexit, ut propter inculpatæ vitæ sanctitatem, religionis fervorem, & virtutum exempla passim alter Carolus Borromæus audiret: Profuderat in Ecclesias, Monasteria & pauperes plusquam decies centena aureorum nullia, suosque Clericos salutaribus decretis, &



& gregem suum, sermone, opere & Sæc. XVII. A. C. 1682.  
 exemplo ad sanctioris vitæ normam re-  
 duxit: Horum meritorum suffragio ab  
 eodem Pontifice in sacrum Purpurato-  
 rum Collegium cooptatus, dimisso Ber-  
 gomenfi Episcopatu ad Insulas Patavi-  
 nas vocatus est: Tandem Venetiis die  
 vigesima Junii anno ætatis septuagesimo  
 secundo, sanctitatis fama clarus deces-  
 sit, cumque ad ejus tumulum plura pa-  
 trarentur miracula, quibus Deus fa-  
 muli sui sanctitatem testatam reddidit,  
 Benedictus XIII. Pontifex anno salutis  
 millesimo septingentesimo vigesimo  
 quinto in ejus virtutes & prodigia in-  
 quiri jussit, ac demum Clemens XIII.  
 circa annum ejusdem sæculi sexagesi-  
 mum primum eundem solemni ritu  
 beatorum Albo inscripsit. Edidit iti-  
 nerarium Belgicum Aloysii Contareni,  
 epistolas graves ad diversos, & sermo-  
 nes sacros ad Clerum, populumque  
 Bergomensem: Hujus beati Cardina-  
 lis obitum rejiciunt nonnulli ad annum  
 Christi millesimum sexcentessimum noua-  
 gesimum septimum.

§. XXIX.

*Angeli Celsi Cardinalis extrema.*

Magnum etiam sui desiderium reli-Oldoin. in  
 quit Angelus Celsus nobilis Roma-Cont. Ciac.

L 4

nus,



Sæc. XVII.  
A. C. 1682.

*Simon Bibl.  
Hist. Palat.  
fast. Card.  
tom. 4*

nus, qui mira celeritate ac copioso pro-  
ventu Juris utriusque studia absolvens,  
eadem die Doctoratus Lauream, &  
Præfularis vestis honorem consecutus  
est, ac paulopost utriusque Signaturæ  
Referendarius, inter Patres Congre-  
gationis de bono Regimine cum plausu  
fedit: aucta vero meritorum, atque e-  
ruditionis fama Romanæ Rotæ adscri-  
ptus, decisiones a doctis Viris celebra-  
tissimas typis vulgavit: demum vero  
Capitolinæ Fabricæ Præfectus, ac Mon-  
tis pietatis Judex constitutus, utpote  
Vir de Republica Christiana optime me-  
ritus, & literis, virtutibusque clarus,  
ab Alexandro VII. Romana Purpura de-  
coratus est. Præfuit pluribus Patrum  
Congregationibus, ubi ob integritatem,  
scientiam, & prudentiam ab omnibus  
veluti sapientiæ oraculum celebratur:  
demum vero die sexta Februarii anno  
ætatis suæ sexagesimo quinto Romæ  
animam Deo reddidit.

§. XXX.

*Principum atque Illustrum obitus.*

*Theatr. Eu-rop. tom. 12.* Inter Principes, qui hoc anno e vivis  
excesserunt, præcipuus erat Theo-  
dorus Alexovicius Moscoviæ Dux, qui  
die decima quarta Februarii Euphrosi-  
nam Nobilis Poloni filiam duxit, qua  
tamen



tamen paulopost, ut creditum est, veneno sublata, ipsemet Dux die vigesima septima Aprilis pari fato nonnisi viginti sex annos natus sublatus est: unde graviter sævitum est a milite Prætoriano in Primores, qui utrique toxicum propinasse credebantur: Successerat Theodoro Petrus Alexovizius Frater ejus natu minor, qui seditionem compesci sperans, rebellium furori plures Prætorianæ cohortis Tribunos reliquit, atque ad eorum postulata quosdam Ministros Aula & officiis abire iussit: nec his tamen erant contenti, sed insuper aucto suorum numero arcem cinxere, & quamplurimos Proceres misere trucidarunt: postea vero Joannem Fridericum natu maximum Ducis Fratrem in suum Principem proclamaverunt, qui tamen oculorum mentisque imbecillitatem obtendens, instigante potissimum Sorore Sophia Regiminis socium Petrum assumpsit: ambo autem Principes, ut rebellium postulatis satisfacerent, columnam erexere, in qua Procerum nuper trucidatorum delicta, & supplicia ad perpetuam memoriam atque infamiam insculpta legebantur; postquam vero Petrus & Joannes ex sibi fidis Nobilibus novam cohortem Prætorianam selegerant, præcipuis seditionis Authoribus capite plexis hanc co-

Sæc. XVII.  
A. C. 1682.



Sæc. XVII. A. C. 1682. lumnam subverterunt. Biennio post  
 Sophia cum aliis conspirabat in Petrum,  
 qui tamen conjuratis aut capite plexis,  
 aut dissipatis solus ac primus ex cunctis  
 suis Prædecessoribus regnum literarum,  
 artiumque cultura, moribusque poli-  
 tioribus ad novam formam splendorem-  
 que reduxit. Obiit insuper Spingar-  
 diæ hoc anno die decima nona Decem-  
 bris Robertus seu Rupertus Comes Pa-  
 latinus Rheni, qui quamvis palam Ca-  
 tholicam fidem professus esset, in An-  
 glia tamen præcipuum locum inter Re-  
 gii sanguinis Principes, Equites, &  
 consiliarios obtinuit, non modo bellicis  
 expeditionibus, sed etiam artibus me-  
 chanicis, & investigandis naturæ ar-  
 canis admodum clarus. Vixit annos  
 sexaginta septem, sepultus Wittehalie  
 in Sacello Henrici VII. Angliæ Regis.  
 Die autem quarta Decembris mortis  
 invidia vivis ereptus est Mauritius Sa-  
 xoniæ Dux annos natus sexaginta tres.  
 Princeps erat germana sinceritate in-  
 clytus: Decessit demum die prima Apri-  
 lis Colonie Franciscus Egon Princeps  
 de Fürstenberg Argentinensis Episcopus,  
 cujus Successor a Canonicis sollicitante  
 Galliarum Rege nominatus est defuncti  
 Frater Guilielmus Egon.



Sæc. XVII.

A. C. 1684.

## §. XXXI.

*Scriptorum religione Catholicorum  
opera & obitus.*

Ingentem quoque stragem hoc anno in-  
vida mors Reipublicæ literariæ in-  
tulit tot Virorum eruditione clarissimo-  
rum interitu: ex his præprimis cele-  
bratur Joannes Caramuel de Lobko-  
wiz ex Cisterciensium Ordine Episcopus  
Viglebanus, quem non Lucina, sed  
Minerva progerminasse videtur; infans  
enim adhuc erat, & jamjam Mathe-  
seos arcana exhauserat, ac theses de  
*Sphæra* non sine omnium admiratione  
propugnabat; non alia unquam habe-  
bat puerorum oblectamenta, quam la-  
tina carmina, quorum in una hora cen-  
tum, & per diem mille mira facilitate,  
raraque elegantia fundebat, & intra  
unius anni cursum Grammaticam, Poe-  
sin, & rhetoricam absolvebat: nondum  
decimum ætatis suæ annum expleverat,  
cum jamjam tabulas astronomicas de  
motibus planetarum typis edidisset.  
Postea Orientalibus linguis ac præcipue  
Sinenfi idioma optime imbutus, Do-  
ctor Theologiam profitebatur, dein Mo-  
guntini Archiepiscopi Suffraganeus, ac  
demum Pragensis Archipræsulis Vica-  
rius Generalis electus, Pragam venit,  
ubi

*Journal des  
Savans  
Aut. Bibl.  
Hisp. Viseh.  
Bibl. Cisterc.  
Du Pin  
nouv. Bibl.  
des Auth.  
t. 17. p. 95.*



Sæc. XVII. ubi militaris Architecturæ scientia in-  
A. C. 1682. signis non modo omnia Bohemix pro-  
 pugnacula munire iussus erat, sed etiam  
 digniore labore hæreses debellare, fi-  
 demque Catholicam in regnum revehere  
 nitebatur: tandem vero meritis &  
 annis plenus Viglebani annos natus  
 septuaginta sex calamum cum vita po-  
 suit: Scripsit Theologiam dubiam, in  
 qua cuncta Atheistarum & Libertinorum  
 dubia collegit, ac propterea a suis æ-  
 mulis accusatus, Romam venire iussus  
 est, ubi tamen suam orthodoxiam tam  
 egregie defendit, ut ipsemet Alexan-  
 der VII. Papa exclamaret: *Nunquam sic  
 locutus est homo.* Accusatur tamen, quod  
 probabilistis plus æquo favorit; forte  
 ideo, quia quatuor epistolas scripsit  
 contra Fagnanum, qui inter plures opi-  
 niones minus probabilem sequi, illicitum  
 esse propugnabat: eadem labe cre-  
 ditur infecta ejusdem Theologia mora-  
 lis, Regularis & rationalis. Scripsit  
 insuper præter Philosophica, & Mathe-  
 matica quamplurimos tractatus de flo-  
 renti statu Religiosorum, & de pace ad  
 binas hypotheses reducta, necnon Hie-  
 rarchiam Ecclesiasticam de summi Pon-  
 tificis & Patriarcharum electione &  
 promotione, Philippum prudentem,  
 Musæum mortis, tractatum de laudibus  
 B. Mariæ, severam disputandi metho-  
 dum,



dum, Historiam Venerabilis Dominici Sæc. XVII.  
 a Jesu Maria Carmelitarum Excalcea- A. C. 1682.  
 torum Præpositi Generalis præter alia  
 quamplurima varii argumenti opuscula.  
 II. Ambrosius Janvier Benedictinus  
 Congregationis S. Mauri edidit casti-  
 gata opera Petri Cellensis unacum ejus-  
 dem, necnon Alexandri III. Papæ lite-  
 ris, latine etiam reddidit commenta-  
 rium Rabbini Davidis Kimhi, a quo  
 tamen refecuit ea, quæ hic pro Rabi-  
 norum more contra religionem Chri-  
 stianam insperfit. III. Antonius Da-  
 din de Hauteferrer edidit commenta-  
 rium in decretales Innocentii III. tra-  
 ctatum de Asceticis seu de origine Sta-  
 tus Monastici, annotationes in vitas  
 Pontificum ex Pontificali Damasi, tra-  
 ctatum de Jurisdictione Ecclesiastica  
 tuenda adversus insultus Auctoris, tra-  
 ctatus de abusu &c. notas in decreta-  
 les Alexandri III. & in Clementinas  
 præter quasdam dissertationes Canoni-  
 cas, pluraque alia. IV. Octavius Fer- Vid. supra  
 rarius typis vulgavit tractatus de lucer- l. 202. §. 101.  
 nis sepulcralibus, & de re vestiaria, o- t. 61. p. 725.  
 rigines linguæ Italicæ, præter prolu-  
 siones & epistolas. V. Ernestus Haf-  
 siæ Landgravius, quem unacum Con-  
 juge sua ejurato Luthero ad fidem Ca-  
 tholicam reversum fuisse jam supra me-  
 minimus, edidit suæ ad fidem Romano-  
 Apo-



Sæc. XVII. Apostolicam conversionis motiva, nec  
A. C. 1682. non motiva pro Papismo, & epistolas  
 ad Theologos Calixtum, Crucium, Haberkornium &c. obiit Colonæ die decima tertia Februarii annos natus quinquaginta novem. VI. Raimundus Nith Ord. FF. Prædicatorum publici juris fecit tractatum de conservatoribus Regularium, lucernam Confessariorum de absolute hæreseos, lucernam inquisitorum pro absolute ab hærese credentia, commentaria in Regulas Juris, & tractatum de vera amicitia. VII. Vincentius Farreejusdem Ordinis prælo subjecit quinque tomos in summam D. Thomæ. VIII. Godefridus Henschenius Jesuita, qui collata opera cum Joanne Bollandò undecim primis tomis, acta Sanctorum Mensium Januarii, Februarii, Martii atque Aprilis scripsit, edidit etiam Diatribam de Episcopatu Trajectensi adversam, & de tribus Dagobertis, Notitias Italiæ, Hispaniæ &c. & Notitias breves Status Ecclesiastici, Monastici, & Sæcularis, præter vitam S. Petri Thomæ Episcopi Carmelitæ, Patriarchæ Constantinopolitani. IX. Servatius a S. Petro Carmelita Excalceatus, scripsit piissimas meditationes & methodum tripartitam adjuvandi agonizantes, pariter in idioma Belgicum transtulit præter SS. Theresiæ & Joannis



nis opera, Pastorem Nativitatis a Ven. Sæc. XVII.  
 DD. de Palafox compositum. A. C. 1682.

§. XXXII.

*Heterodoxorum Scriptorum decessus,  
 & lucubrationes.*

Nonnullorum ex Scriptoribus Acathe- *Carol. Mem.*  
 licis opera & fata recensere juvat; *pag. 296.*  
 hos inter primus erat Samuel Clarcke, *Witte Diar.*  
 qui Puritanorum Prædicantium vitas, *Wood Ath.*  
 medullam Historiæ Ecclesiasticæ, Mar-  
 tyrologium generale & Anglicum, ca-  
 sus conscientiæ, Historiam Germaniæ  
 & Hungariæ edidit. II. Michael Buc-  
 chenröder scripsit opusculum de duobus  
 aliis Gog & Magog, vaticinia de irru-  
 ptione eorum in montes Israel, & de  
 horum interitu. III. Cyriacus Mar-  
 tini typis vulgavit Homilias in histo-  
 riam Josephi, Peregrinantium informa-  
 torium, & pios rationis status Regular,  
 ex Zachar. cap. 8. v. 15, & seqq. IV.  
 Alexius Kempe posteris reliquit dispu-  
 tationes de homicidio, & necessaria sui  
 defensione, tractatum de subditis infe-  
 rioris conditionis, præter Ethica &  
 politica. V. Joannes Zangueth edi-  
 dit disputationes de Concilii Apostolici  
 Canone IV. de Jure Dei in homines, de  
 mendacio, & de summo bono. VI.  
 Martinus Kempius scripsit Bibliotheca-  
 gam



Sæc. XVII. cam Anglorum Theologicam, disserta-  
 A. C. 1683. tiones de osculis, & de Judæ ingenio  
 præter Epiphylides sacras. VII. Ægi-  
 dius Strauchius vulgavit Breviarium  
 Chronologicum, Repetitum consensum  
 fidei Lutheranae, tractatum de ænig-  
 mate Samsonis, de ritibus flagellandi  
 apud Judæos, de cultu Christi, de an-  
 no Hæbreorum Ecclesiastico pluraque  
 alia: continuavit etiã Sleidanum de  
 quatuor summis Imperiis.

## §. XXXIII.

*Emerici Comitis Töckelii pacta cum  
 Turcarum Imperatore.*

*Wagner  
 Hist. Leop.  
 l. 8. p. 575.*

Annus hujus sæculi octogesimus ter-  
 tius magna rerum vicissitudine cla-  
 rus, initio Christianæ Reipublicæ ad-  
 modum funestus fluxerat, dein tamen  
 præter expectationem exitum longe  
 lætissimum habuit: quantumvis enim  
 Leopoldus Imperator Saponaram Le-  
 gatum suum iterato cum amplissimis  
 conditionibus ad Töckelium Comitem  
 decrevisset, & seditiosos Protestantes  
 indultis potissimam partem eorum po-  
 stulatis demulcere nifus esset, nihilo-  
 minus idem Töckelius Turcarum subfi-  
 dio tumidus incredibili arrogantia tam  
 duras præscripsit leges, ut sub pacis ve-  
 lamine belli incendium eo acrius in-  
 flare



flare videretur: nec his contentus, die Sæc. XVII.  
A. C. 1683.  
 decima tertia Januarii Hungariæ Superioris Procerum comitia Cassoviam indixit, ubi præsentem Achmetis Sultani Legato belli in Cæsarem moti causas exponens, sibi tanquam Hungariæ Principi homagium exsolvi jussit: demum multa de Religionis libertatisque excidio, & Turcici jugi suavitate ac de Germani Imperii tyrannide perorans, Regni dedendi condiciones, quas proprio chirographo ac sigillo munitas Sultanus nuper præscripserat, congregatis Proceribus exposuit, a singulis signandas. Erant autem hæc I. Töckelius, quamprimum Sultano fidem jurasset, tributarius Hungariæ Rex agnoscat, ejusque Oratores more Regiorum Legatorum iisdem honoribus habeantur, eo autem mortuo Regina ejusque bona ob fidem Ottomanis præstitam Turcarum patrocinio salva sint. II. Hungaris post Tökeli suarumque prolium mortem pro arbitrio Regem eligere integrum sit. III. Tributum Turcis promissum non augeatur, omnia autem Hungarorum jura & privilegia penitus salva maneant, & a Turcis contra eorum hostes valide defendantur. IV. Turcæ cum Germanis inconsulto Töckelio nunquam pacem ineant. V. Nec ex captis Ungariæ Urbibus quicquam  
*Hist. Eccles. Tom. LXV. M reti-*



Sæc. XVII. retineant. VI. Pacem San - Gothar-  
 A. C. 1683. dianam quoad articulos, qui Hungaros  
 spectant, inviolata fide fervent. VII. Jesuitæ omnes, utpote pacis publicæ perturbatores e Regno expellantur, nec ullo tempore rursus recipiantur, quique illos revocari ad laboraverint, a Sultano severe castigentur. VIII. Vis nemini inferatur, & Hungari sua religione, moribus, legibusque vivant. Firmatis utrinque hisce pactis Töckelius viginti Ducatorum millia Turcici Senatus Ministris dono submitit, plerimum vero Procerum, qui in comitiis comparere, ejusque consiliis obsequi recusabant, bona, non minus quam Cæsaris ditiones in Superiore Hungaria sitas violatis induciarum pactis aërio suo addixit, promulgatoque edicto omnibus Ecclesiasticis præcepit, ut intra viginti quatuor horarum angustias sua Tempia Protestantibus cederent, ipsique Regno exularent.

## §. XXXIV.

*Bellicus Leopoldi Cæsaris apparatus  
 contra Turcas & rebelles  
 Hungaros.*

*Han Panon.* Enimvero non modo Saponara, sed  
*nov. p. 524.* etiam Esterhasius Regni Palatinus,  
*Hode vie de* aliique Amici & familiares Töckelium  
*Louis XIV.*  
*lib.* a tam



a tam perversis consiliis avertere moliebantur: ast incassum omnia; ejus enim audaciam non minus ac arrogantiam nimium firmabant auctiora indies Gallorum promissa, æs præsens, spes amplissimæ, atque existimata prosperi successus fiducia: Interim Caprara Comes, alter Cæsaris Legatus nuntiabat, Vezirium, nisi Imperator præter annum tributum Jaurinum insuper & Comaromium, totamque Hungariam Superiorem Sultano traderet, omnes pacis condiciones respuere, ipsumque Turcarum Imperatorem cum immenso militum, bellique tormentorum apparatu Byzantio Adrianopolin contendere paratum esse: In tanto rerum periculo Leopoldus Cæsar, ne imparatus opprimeretur, sese ad bellum accingit, ac fœderatorum auxilia conquirat. Præceteris Innocentius XI. Papa non modo ad exorandam Dei opem die undecima Augusti Jubilæum indixit, sed ipse etiam sollicitante Comite Martinizio Cæsaris Legato ex thesauris tum propriis tum Ecclesiæ prægrandem auri vim pro conscribendo milite Cæsari submitit, ac Bonvisio suo apud Cæsarem Nuntio negotium dedit, ut ex harum regionum bonis Ecclesiasticis ingentem summam colligeret, & ducenta coronatorum millia Cæsari consignaret. Pollicebantur

Sæc. XVII.

A. C. 1683.



Sæc. XVII. tur etiam Maximilianus Emanuel Ba-  
 A. C. 1683. variæ Elector cum duodecim selectæ  
 militiæ millibus, & Saxo cum totidem  
 affuturos: sua quoque subsidia sponde-  
 bant Austriæ & Hungariæ Proceres,  
 pariter Franconicus, Rhenanus & Sue-  
 cicus Imperii Circuli magnas copias  
 coegere: Italiæ etiam Principes pro-  
 viribus pecunias conferebant, & Hi-  
 spaniæ Rex per Mediolani Gubernato-  
 rem, quantum corradi posset, num-  
 morum Viennam transmitti iussit. Sol-  
 licitabantur etiam quatuor Electores  
 Rhenani, qui tamen Gallicæ irruptio-  
 nis metum obtendebant: certiora au-  
 tem auxilia sibi Cæsar a Joanne Sobies-  
 kio Polonorum Rege pollicebatur, mil-  
 so hanc in rem Wallensteinio Comite:  
 ast Bethunius Franciæ Orator, sibi que  
 additi Proceres haud levia opponebant  
 obstacula: tandem vero Wallensteinio  
 in comitiis perorante Rex, ac Proce-  
 rum potissimi, necnon Episcoporum  
 Ordo Pallavicini Pontificii Nuntii opera  
 conciliati, summa comitiorum volun-  
 tate fœdus pepigere, his legibus. I.  
 Bellum nonnisi contra Turcas, pax  
 vero duntaxat utriusque partis consen-  
 su geratur. II. Cæsar præsi-diariorum  
 vicena, & sexaginta armatorum millia,  
 & Poloniæ Rex huic expeditioni præ-  
 sens quadraginta educat. III. Præten-  
 siones



fiones utrinque remittantur. IV. Tre-  
 centa Imperialium millia a Bonvisio e  
 sacris Italix decimis collecta Polono  
 numerentur. V. Opera detur, ut Mo-  
 scus & Veneti huic societati accedant.  
 VI. Hæc demum pacta Pius Cardina-  
 lis pro Cæsare, Barberinus vero pro  
 Rege sacramento firmarent. Dies erat  
 decima quinta Martii, qua Cæsar ex  
 Polonia felicem nuntium de firmato hoc  
 fœdere acceperat, mox ergo suo Le-  
 gato Adrianopoli agenti negotium de-  
 dit, ut Turcis bellum nuntiaret, Ca-  
 prara autem Comes Constantinopoli  
 abiret: hic vero contra gentium jura  
 retentus, ac pessime habitus Turcarum  
 copias Viennam usque comitari coactus  
 est. Habito dein belli Senatu Impera-  
 tor quinquaginta novem belli tormenta  
 Posonium transferri, ibidemque uni-  
 versum exercitum contrahi iussit, cu-  
 jus etiam supremum imperium Ca-  
 rolo V. Lotharingix Duci detulit, ac  
 Trosowizium Comitem reliquis Croatix  
 copiis præfecit: ipse vero cum Bava-  
 rix Electore, aliisque Belliducibus die  
 quinta Maij Vienna Posonium conten-  
 dit, ubi facta militum recensione sub  
 tentorio a Selepsenio Archiepiscopo  
 Strigoniensi sacrum solemne decantari,  
 Pontificis diploma de Indulgentiis mi-  
 litix concessis elata voce prælegi,

Sæc. XVII.  
 A. C. 1683.



Sæc. XVII. cunctisque militibus unius mensis stipendium prænumerari iussit.  
A. C. 1683.

## §. XXXV.

*Pontificis solertia in sollicitanda Principum Christianorum ope.*

*Jäger. Hist. Escl. l. 3. c. 2. p. 7. Wagn. Hist. Leopold. l. 8. pag. 619. Hode Hist. de Louis t. 41. p. 251.* Præprimis Innocentius XI. Pontifex maximus Principes Christianos gravissimis literis obtestabatur, ut communitis inter se dissidiis celeriter pro communi causa adversus Christiani nominis hostem auxilia expedirent: cum autem nuntiatum esset, quod Ludovicus XIV. Franciæ Rex in Alfatia ingentem contraheret exercitum, atque Argentorati arcibus ad Rhenum oppido firmatis aditum in Gallias Germanis occluderet, hinc Papa nullum non movit lapidem, ut Regem Christianissimum ab insequendo Cæsare & Hispanis averteret, eumque ad opem Cæsari in bello tam arduo, inque salutem totius Orbis Christiani suscepto ferendam, armaque in barbaros convertendam inclinaret: Hanc in rem ad eundem die vigesima Januarii sequentes dedit literas: „Charissime in Christo Filioster, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Quantus & quam formidabilis turcarum adversus Hungariæ regnum apparatus, quæ eidem regno,



„universæque Christianæ Reipublicæ Sæc. XVII.  
 „ab immanissimo hoste tempestas impen- A. C. 1683.  
 „deat, satis superque notum atque explo-  
 „ratum Majestati tuæ. Etsi etiam de Ex-  
 „celsi invictique animi tui magnitudine  
 „tam præclare sentimus, ut persuasum  
 „facile habeamus, te in tanto rei di-  
 „scrimine digna Christianissimo Rege  
 „suscepturum, eidemque gravissime pe-  
 „riclitanti fortissimis Exercitibus tuis,  
 „quorum virtus & robur atque gloria  
 „toto terrarum orbe celebratur, nullo  
 „modo defuturum; ea tamen causæ  
 „est conditio, illud Pastoralis officii no-  
 „stri debitum, ut prætermittere non  
 „possimus, quin Majestatem tuam vehe-  
 „mentissimo cordis affectu rogemus,  
 „hortemur, atque per viscera Domini  
 „Nostri Jesu Christi obtestemur, ut ob-  
 „latam eximiam occasionem Christiani  
 „Nominis adversus Barbarorum impe-  
 „tus tuendi, eorumque ferociam, ac  
 „inexplebilem dominandi libidinem re-  
 „tundendi, elabi non sinas, sed eo Zelo  
 „a Majoribus tuis hæreditario quasi  
 „jure in te transfuso, quo hæresin tam  
 „feliciter hæcenus expugnasti, & por-  
 „ro expugnare non cessas, victricia ar-  
 „ma tua in eosdem Barbaros, populo  
 „Dei vivi temere insultantes, & perfidi-  
 „diæ suæ abominationem in Christia-



Sæc. XVII „nas ditiones proferre molientes con-  
 A. C. 1683. „veritas. „

„Quod si forte Regni tui rationes,  
 „quod non putamus, id non permise-  
 „rint, illud saltem præstes, ut tam ne-  
 „cessario tempore ab armorum tuorum  
 „metu Germania, aliæque Christianæ  
 „Provinciæ liberentur, quo charissimus  
 „in Christo Filius Leopoldus Romano-  
 „rum Rex in Imperatorem electus, cæ-  
 „terique Principes vires suas eo con-  
 „vertere valeant, ubi in consimilibus  
 „casibus uno animo, & certatim pri-  
 „vatis, sepositis, ac posthabitis diffi-  
 „diis, ut publicis malis occurrerent,  
 „facere bellum consueverunt. Non  
 „arbitramur necesse esse, pluribus a-  
 „pud Majestatem tuam hac de re agere.  
 „Te enim & tuo opte ingenio ad magna  
 „& illustria quæque, ac præsertim illa,  
 „a quibus Christianæ Religionis secu-  
 „ritas pendet, amplectenda procli-  
 „vem esse, perspectum habemus. Et  
 „ea infidet animo nostro de tua pietate  
 „ac sapientia opinio, ut ab iis tibi satis  
 „incitamenti futurum non dubitemus.  
 „Reliquum itaque est, ut ubi nostris,  
 „totiusque Reipublicæ Christianæ vo-  
 „tis, quæ per nos te alloquitur, an-  
 „nueris, a Divina bonitate constantem  
 „rerum secundarum felicitatem tibi Re-  
 „giæque Domui pollicearis, dum nos  
 „eni-



„enixis ab eadem precibus id flagitan- Sæc. XVII.  
 „tes, uberioresque sensuum nostrorum A. C. 1683.  
 „prosecutionem dilecto filio, nobili Vi-  
 „ro, Duci Estreo, cui eos diligenter  
 „aperuimus, ut ad te referat, relin-  
 „quentes, Majestati tuæ Apostolicam  
 „Benedictionem amantissime imper-  
 „timur. „

Hæc tamen Pontificis literæ apud  
 Franciæ Regem adeo nihil profecere,  
 ut etiam disjecto Cortacensi conventu  
 Hispaniæ Regem hostiliter invaderet,  
 atque inopino impetu Curtracum &  
 Dixmudam urbes interciperet: quini-  
 mo, si Puffendorffio fides, accepto nun-  
 tio de liberata Vienna Rex adeo per-  
 turbatus erat, ut febris obtentu nun-  
 quam integro triduo sese conspicien-  
 dum dederit: insuper inter Vezirii com-  
 mentarios in ejus tentorio interceptos  
 reperiebantur Regis Gallici literæ, qui-  
 bus tota oppugnandæ Viennensis Urbis  
 ratio acurate continebatur: fervente  
 etiam bello captus erat Töchellii secre-  
 tarius, qui palam fatebatur, quod in-  
 ter Franciæ Regem, Turcas & Töcke-  
 lium convenerit, ut Gallus & Turcæ  
 cunctas Cæsaris Provincias, ipsamque  
 Viennam occuparent, tandem vero  
 Gallus armis in Turcas conversis, Ger-  
 maniam a Turcis simulque a Romani  
 Imperii fascibus liberaret. Hæc tamen



Sæc. XVII. de Christianissimo Rege suspicari aut  
A. C. 1683. credere, piaculo mihi duco: Utut vero  
 res se habuerit, id tamen omnino ex-  
 ploratum habetur, non defuisse adula-  
 tores impios, qui Regi persuadere mo-  
 liti erant, perutile fore Christianis, si  
 Gallorum potentia per Europam adeo  
 invalesceret, ut reliquis Principatibus  
 leges dare, hæreticos extirpare, Tur-  
 casque opprimere posset.

## §. XXXVI.

*Hujus expeditionis initia Casareis  
 infausta.*

*Calmet Hist. Eccl. de Lorr. l. 39. pag. 866. Valcher. Vienn. ob- ject.* Recensebat Imperator tum nonnisi suo-  
 rum triginta sex millia, & Hunga-  
 rorum duntaxat tria millia sub signa  
 venire, cum tamen Vezirius Cara Mu-  
 stapha(\*), quamprimum Byzantii ad Pa-  
 latii fores feralis equi cauda erecta fue-  
 rat, præter ducentas belli machinas  
 trecenta armatorum millia recenseret,  
 ac insuper Töckelius præter Tartaro-  
 rum mille quatuordecim, Valachorum,  
 Moldavorum, Transylvanorum & Hun-  
 garorum potissimum Protestantium nu-  
 merosa agmina adduceret. Nihilomi-  
 nus Lotharingius, qui Comarinum in-  
 ter ac Neosolium castra metabatur, die  
 vige-

(\* ) Alii illum Kouperlougli seu aliis dictum  
 Kiuperli nominatum fuisse referunt.



vigesima nona Maij Strigonium obsi- Sæc. XVII.  
 dere parat, verum a Cæsareo belli Se- A. C. 1683.  
 natu iussus, Neosolium cinxit: biduo  
 post nuntiatum, Turcas acceleratis  
 itineribus propinquare, & Jauri-  
 num aut Viennam dubio procul petere:  
 Ergo omni nervorum contentioue Jau-  
 rinum ac finitima præsidia muniuntur,  
 & legiones partim ad custodiendos adi-  
 tus, partim ad explorandos hostium  
 motus distribuuntur. Illuxerat dies  
 trigesima Junii, qua universus Turca-  
 rum exercitus ad Jaurini mænia in con-  
 spectu fuit, in duo partitus agmina, al-  
 terum a Benedictino Divi Martini Cæ-  
 nobio, alterum a Danubio leucis dua-  
 bus porrectum: Haud diu feriabantur  
 barbari, quorum alii trajecto Arabone  
 fluvio in equitatum, alii in calonum  
 turmas irruerant, potissimi adversus  
 castra & urbem suggestus aggeresque  
 erigebant, universi autem cuncta ter-  
 rore ac tumultu replebant. Crescebat  
 in horas periculum, nuntiatumque,  
 quod Hungari sese Turcis junxissent,  
 & Bathianus Comes intentata morte  
 a suis adactus, concreditas Muræ sta-  
 tiones deseruisset, necnon Tartari a  
 tergo instarent, Töckelio eis viam ster-  
 nente, urbesque quamplurimas tum vi-  
 tum metu cum suis rebellibus occu-  
 pante. In tantis angustiis Lotharingus

Jau-



Sæc. XVII. Jaurinum novo præsidio muniri, &  
A. C. 1683. Leslæum Ducem in Insulam Schüttam  
 cum peditatu & tormentis subsistere  
 jubet: cognito autem, quod prima ho-  
 stium acies, superata Rabniza haud du-  
 bio iter Viennam faceret, omni celeri-  
 tate peditatum & machinas eo præmi-  
 tit; præverterat autem Cæsareorum  
 iter agmen Tartarorum, quos tamen  
 non sine clade Gondola Bellidux repu-  
 lit, ipsa vero, qua hæc velitatio acci-  
 dit, die septima Julii quidam milites,  
 qui e primo pavore Viennam profuge-  
 rant, urbem tanta trepidatione imple-  
 bant, ut Cæsar fugienti similis, relictis  
 Viennæ Domus Augustæ thesauris pri-  
 mo Lincium contenderet, comitante  
 eum Serinio decolati Petri Filio, qui  
 tamen clam cum Töckelio conspirans  
 subito disparuit, sed a rusticis captus,  
 Lincii paulopost promeritas perfidiæ  
 pœnas dedit: Cæsar vero se hosti pro-  
 ditum veritus, Passavium perrexit:  
 comperta autem Cæsaris fuga intra bi-  
 duum plusquam sexaginta hominum  
 millia præcipiti pedum studio Vienna  
 cesserunt, aut verius triste in exilium  
 confusa multitudine emigrarunt, unde  
 non pauci aut turba compressi, aut e-  
 quorum pedibus obtriti perierunt: illi  
 vero, qui vel ad fugam tardiores, vel  
 in Styriæ montes, aut Austriæ sylvas  
 recesserunt.



recesserant, a Tartaris trucidati sunt: Sæc. XVII.  
 finitimi etiam Hungariæ pagi hostili- A. C. 1683.  
 bus flammis ubique colluxere, jamque  
 Turcæ Bertholdi - villam nobile oppi-  
 dum deditione acceperunt, omnesque  
 incolas, etsi vitam libertatemque pacta  
 auri summa redemissent, ad Templum  
 profugos, nulla ætatis, sexus, aut  
 conditionis discrimine per otium mi-  
 fere jugularunt.

§. XXXVII.

*Turcæ ad Viennam.*

Morabatur Vezirius in castris suis ad *Calmet l. c.*  
 Danubii ripam integris ferme un- *Wagner*  
 decim diebus, non sine maximo Chri- *Hist. Lea-*  
 stianæ rei commodo; quippe hoc inter- *pold l. 8.*  
 vallo Lotharingius Dux exercitum suum  
 innoxie Viennam reducere, urbemque  
 ad strenuam defensionem comparare  
 poterat: ipse etiam Dux arrepto ligone  
 primus terram molitus est, cujus exem-  
 plo animati juvenes, senes, Monachi,  
 & Sacerdotes, ac ipsæ etiam Matronæ  
 Nobiles in opus incumbere certabant:  
 perfecto demum intra sex dies labore  
 Ernestus Rogerius Comes StareMBER-  
 gius defendendæ urbi præficitur, cujus  
 fortitudini ac vigilantia potissimum  
 Viennæ salus debetur. Quarta demum  
 Julii die omnis Turcarum exercitus  
 sese



Sæc. XVII. sese a Schönbronio Nusdorffium usque  
A. C. 1683. Viennæ circumfudit, eademque die  
 fossores juxta oppugnationis typum a  
 Gallis machinatoribus descriptum duos  
 suggestus contra Palatinum & Leon-  
 num propugnacula erexere; ea enim  
 reliquis magis infirma esse, explora-  
 tum habebat Vezirius, qui obsessorum,  
 totiusque Cæsarei exercitus paucitate  
 explorata, dein contempta obsessos  
 missis fecialibus, si vitam ac libertatem  
 fervare vellent, ad celerem deditio-  
 nem provocabat, secus, nec infantem  
 quidem in materno utero vivum fore.  
 Responsum tormentis datum est, non  
 sine multo hostium danno; cum enim  
 vel prædandi aviditate vel securitatis  
 spe pellecti, die decima sexta ejusdem  
 Mensis Leopoldino suburbio appropin-  
 quarent, ac frequentes intra rudera  
 delitescerent, dissilientium murorum  
 fragmentis obriti periere. Inter hæc  
 novus in urbe terror ob periculosum  
 intra urbem incendium; nonnulli enim  
 incendiarii a Töckelio, Turcisque im-  
 missi Scotorum monasterium armamen-  
 tario nitrati pulveris copia refertissimo  
 vicinum, necnon Palsiorum, Aursper-  
 giorum, Traunorumque Palatia in ci-  
 neres rede gere, præsentaneo totius Ur-  
 bis excidio, nisi Guido Starebergius  
 pulveres efferri, dirutisque ædibus  
 ignem



ignem restingui curasset, ventusque ex Sæc. XVII.  
 aduerso flans flammam a latius graf- A. C. 1683.  
 fante incendio cohibuisset. Authores  
 mali, alii a furente populo discerpti,  
 alii in furcam aut rotam acti sunt. Im-  
 pune autem Turcæ omnia suburbia &  
 plusquam septuaginta octo pagos, Ec-  
 clesias, Monasteria & Palatia quævis  
 obuia incenderunt; postea Danubium  
 natando trajicientes, Schulzii copias,  
 quæ pontem tuebantur, primo repres-  
 ferunt, postea tamen ingenti tormen-  
 torum tempestate in eos effusa retro-  
 cedere coacti sunt, Lotharingius quo-  
 que Ludovico Badensi Marchioni jun-  
 ctus die vigesima nona Julii Töchelum,  
 qui Pofonio, Commorræ & Jaurino  
 inhiabat, aggressus in fugam compul-  
 sit, omnibus impedimentis bellique  
 machinis feliciter occupatis, eoque ite-  
 rata clade protrito, eversoque ponte  
 Pofonium, in quam urbem Töckelius  
 per occultam Protestantium proditio-  
 nem jamjam penetraverat, denuo Cæ-  
 saris potestati asseruit.

## §. XXXVIII.

*Vienna a Turcis obsessa.*

Interea Viennenses, ne ulla hora ad  
 quietem indulta, machinis, pilis  
 ferreis, globisque ignitis diu noctuque  
 acri-



Sæc. XVII. acriter impetebantur: reperiebatur in  
A. C. 1683. ter alios lapideus globus, cui Italo idio-  
 mate incisum: *Pepo hic est, qualis in*  
*monte Carmelo nascitur.* Invalescebant  
 insuper ob immodicos solis ardores  
 morbi, ac febres, ipso etiam Starem-  
 bergio his malis infestato, ac insuper  
 ex pilæ fragmento faucio. Hæc re-  
 scientes Turcæ aucto furore urbem  
 quatere cæperant, duorumque men-  
 sium spatio prægrandes globos æneos  
 centum millia amplius, exigua hominum  
 murorumque strage in urbem detona-  
 bant, ac circumvallata penitus urbe  
 cuniculis præcipue rem egere,  
 quocirca Urbis Gubernator undique  
 suos disposuit, qui admota ad tellu-  
 rem aure fossionis inditia explorarent,  
 nihilominus nulla præterit dies, qua  
 non alternis cuniculis suffossa telus de-  
 hisceret, exiguo tamen Christianorum  
 damno, majore Turcarum, quos pro-  
 pius accedentes prælongis falcibus,  
 nodosisque clavis Studiosi armis instructi  
 egregie rejecerunt, necnon eruptione  
 facta multos Janissarorum obrunca-

*Priet. annal.* runt: hanc tamen suorum cladem ul-  
*cont. p. 965.* turi Turcæ, mox in trecentos Cæsareos  
 ex urbe erumpentes impetum urgent,  
 eosque retrocedere compellunt; verum  
 in opem accurrente Duce Wirtenber-  
 genfi denuo pedem referre compulsi  
 sunt,



sunt, destructis eorum operibus, desideratisque omnino trecentis. Postridie Barbari fossas suas tam prope promoverant, ut inter inconditos clamores & tripudia, obsessos per ludibrium ad choreas invitarent: soluto autem cuniculo una omnes in aera subsilientes periere: aucta exin rabie Janissari maximo numero in valla irruere, ast eorum trecenti longius incautusque progressi a Cæsareis præcipites in fossam dati sunt, reliquis pari virtute repressis, ipsoque Mesopotamiæ Bassa faucio: multa occisorum capita obsessi in urbem retulerunt, eaque vallis ad terrorem affixere: nec tamen hæ victoriæ Christianis incruentæ erant; quippe præter quingentos in certamine cæsos Rumperscientissimus rei tormentariæ Tribunus, Burkardus Baro Gallenfelsius, Dubskius, Walterus, nec vilia, nec illacrimata nostris capita ceciderunt. Porro continuis suffollionibus triplicata vallorum series sæpius revulsa, identidem ab obsessis restituta: incaluit indies oppugnantium, obsessorumque ardor, cessatum a neutris, promotæque longius Turcarum approximationes, vicissim vero oppositis cuniculis multi indies barbarorum in aera evibrati: ipsa autem laboris frustratione animorum indignationem acrius inflammante,

*Hist. Eccles. Tom. LXX.*      N      Tur-

Sæc. XVII.  
A. C. 1683.



Sæc. XVII. Turcæ aggerem Leonino propugnaculo  
 A. C. 1683. impositum adeo diruerunt, ut tormenta  
 inde subducere, necesse esset, quo facto  
 die prima Augusti Turcæ Danubium  
 pontonibus sternentes, ex altera Urbis  
 parte aggressionem moliebantur, hanc  
 que in rem canalem, qui in Urbis na-  
 vale influit, subire contendebant, ve-  
 rum a sclopetariis tam ruditer excepti  
 sunt, ut pauci vitam referrent: Tunc  
 baldus quoque Comes Tartaros, rebel-  
 lesque Hungaros aggressus, trucidatis  
 octingentis duo hostium vexilla repor-  
 tabat, innovatoque certamine quam-  
 plurimos captivos in libertatem assere-  
 bat: Die nona Augusti Vezirius Capra-  
 ram Comitem Cæsaris Legatum tan-  
 dem liberum dimisit, eo fine, ut Leo-  
 poldo nuntiaret, solvendam esse Viennæ  
 obsidionem, si Jaurinum Sultano ce-  
 deretur: ast Vezirius nequidem respon-  
 sum accepisse, aliunde vero post ite-  
 ratam suorum cladem nondum ad ur-  
 bis fossam perventum fuisse indignatus,  
 altera die totius exercitus assultum in  
 extima urbis opera tentavit, ac ter re-  
 petito, irritoque conatu tandem quarto  
 vallorum partem, viamque opertam eo  
 successu occupavit, ut in fossæ margine  
 subitanæ munitionem vigesima accer-  
 rimæ oppugnationis die extruere posset:  
 Arctiores tum erant Viennæ res, ac  
 indies



indies tam morbis, quam cædibus im-  
 minutus pugnantium numerus: De hoc  
 urbis statu Gubernator die decima ter-  
 tia Augusti Lotharingium certio-  
 reddidit, misso ad eum Georgio Kol-  
 schinskio gente Rasciano, qui totum  
 Danubium natatu transmittens, ac  
 Turcico habitu indutus, hostium castra  
 pertransiit, literasque in ceram convo-  
 lutas atque ad collum religatas ad Lo-  
 tharingium detulit, in reditu tamen  
 captus, atque a Vezirio de urbis Statu  
 interrogatus, cum omnia desperatione  
 plena, atque ad deditioem composita  
 mentiretur, vitam & præmium retulit:  
 Lotharingius autem die decima sexta  
 ejusdem Mensis Comitem de Tanff ad  
 Cæsarem ablegavit, petens, ut Impe-  
 rii ac Poloniæ suppetias urgeret; pau-  
 lopost Comes de la Tour Cæsaris Le-  
 gatus nuntiabat, Poloniæ Regem cum  
 suis exeunte Mense Augusto Viennam  
 adventurum: altera igitur die Lotha-  
 ringius per eundem Kolschinskium Gu-  
 bernatori significabat, quod Töckelium  
 Jaurini magna clade stravisset, Chri-  
 stianus exercitus liberandæ urbi inten-  
 tus esset, magna auxiliorum pars jam-  
 jam advenerit, alii in propinquo, ac  
 Poloni, Brandenburgici, & Imperii co-  
 piæ sub finem Mensis afforent: remisso  
 autem Kolschinskio Gubernator a Lotha-

Sæc. XVII.  
 A. C. 1683.



Sæc. XVII. ringio petiit, ut in fortuitos casus in  
 A. C. 1683. propinquo exercitum teneret, ac re  
 exigente suppetias opportune perruptis  
 hostium castris immittere, paratus foret. Interim Vezirius instigante Töckelio ex Leopoldi suburbio transitum in alterum litus moliebatur, verum Dux Pofonio redux, effusa globorum tempestate hostium conatus repressit, & Heisterus superato flumine multa præda dives rediit: Demum Vezirius post sanguinarium prælium in fossam penetrat, ac suggestu, quem Cæsarei Leonino propugnaculo objiciebant, solo æquato, extimam molem rupto cuniculo evertit. Tum vero cruentum utrinque certamen, sæpius in molem enisi Turcæ, toties repulsi, plusquam mille ducenti periere, aucto demum furore die decima octava Augusti alterum molis receptum decumano cuniculo succussum, ac quinto post die inter continuam globorum explosionem, cuniculos cuniculis oppositos, crebrasque pugnas tandem Turcæ tertium quoque receptum occuparunt. Ad calamitatis cumulum accessit, quod Töckelius Turcis junctus, in Austriam irumperet, & cis-Moravano agro foede devastato, plurimas urbes, vicosque in cinerem ageret, simulque Vezirium in alteram Danubii oram ad obstruendum



dum auxiliaribus iter pelliceret: Ob-  
 stiteret Poloni, ast longius, quam iussi  
 essent, abrepti, amissis trecentis in a-  
 pertam fugam effusi sunt, interim vero  
 Lotharingius adductis clam tormentis  
 Turcas cæco impetu irruentes tam stre-  
 nue excepit, ut Agriensi Bassa cum  
 mille ducentis cæso, & fauciato Tar-  
 tarorum Principe viginti duo signa e-  
 questraria, & pedestria septem & viginti  
 præter equos sexcentos, & triginta sex  
 camelos ad castra reportaret, hoste  
 Tyrnaviam usque profugo: Hæc victo-  
 ria Janissaris tantam incussit consterna-  
 tionem, ut sese a Vezirio deceptos fuisse  
 vociferantes, apertam seditionem mo-  
 lirentur, a Mutio tamen promissis de-  
 liniti, die vigesima quarta Augusti in  
 supremum molis receptum incredibili  
 furore ac pertinacia assultum redinte-  
 grant, ubi Wirtenbergensis Dux rara  
 fortitudinis suæ specimina edidit, at-  
 que eruptione facta binos hostium ac-  
 cessus solo æquavit, cuniculum detexit,  
 quo feliciter rupto haud dubie tota,  
 quæ supererat moles discerpta fuisset,  
 quæ tamen Turcis graviter instantibus  
 tandem die tertia Septembris hosti ces-  
 sit, unacum Palatino & Leonino pro-  
 pugnaculis, quæ igne cuniculis admoto  
 in immanis hiatus fossam concidere.  
 Tum vero obsessorum res in arcto po-  
 sitæ

Sæc. XVII.  
 A. C. 1683.



Sæc. XVII. sitæ extremam calamitatem prælagie  
 A. C. 1683. bant. Convolant ergo ad Templum Ecclesiæ  
 stici, omnisque ætatis homines, De  
 opem, Superum, hominumque suppet  
 tias invocant, præ ceteris vero Colo  
 nitius communis omnium Pater & asy  
 lum nutantes erigere effusisque largite  
 pecuniis miseros adjuvare ac propitiis  
 Numen Urbi, & Christianis armis red  
 dere, indiētis publicis precibus niteba  
 tur; quo comperto Vezirius dejerabat  
 se huic Sacerdoti in operæ præmium  
 cervices a trunco resecturum: repente  
 autem inter medias desperationis ne  
 bulas obsellis spes haud infima affulsi  
 nuntiatum enim est, advenisse Poloniæ  
 Regem ingenti cum exercitu, Franco  
 niæ etiam copias jamjam Passavium  
 versus tendere: nec mendax erat iste  
 rumor; die enim trigesima prima Au  
 gusti Joannes Poloniæ Rex cum viginti  
 quatuor selectæ militiæ millibus Holla  
 brunam advenit, ubi a Lotharingio sa  
 lutatus, die septima Septembris sele  
 Germanorum auxiliis consociavit: ea  
 dem quoque die Maximilianus Ema  
 nuel Baviariæ Elector cum suis copiis  
 Campum Tulnensem quarto supra Vien  
 nam milliari ingressus est: sequenti die  
 in tentoriis celebrabantur Divina offi  
 cia, sub quibus Poloniæ Rex, Baviariæ  
 Elector, ceterique Principes ac Belli  
 duces



duces, universusque exercitus Catho- Sæc. XVII.  
 licus sacra Synaxi ad proximam pu- A. C. 1683.  
 gniam muniebatur. Datur obsessis vi-  
 cini auxilii signum, expulso e Cæcio  
 monte belli tormento: auxit quoque  
 Viennensium lætitiā, ac liberandæ  
 urbis fiduciam comperta Morlachorum  
 excursio; hi enim populi in finibus Dal-  
 matiae sibi ad imminentis belli nuntium  
 in Turcas insurrexere, eorumque ali-  
 quot loca cædibus, rapinis atque in-  
 cendiis devastarunt, sese recipientes  
 post excursiones factas in finitimam Ve-  
 netorum ditionem, quo etiam prædas  
 comportarunt, nato exin magno rei  
 Christianæ emolumento; cum enim  
 Turcæ a Veneto Oratore in damni com-  
 pensationem ingentem auri vim extor-  
 quere niterentur, Respublica eis bel-  
 lum denuntiabat; quod anno sequenti  
 inchoatum magnis Turcas cladibus  
 affecit.

§. XXXIX.

*Vienna obsidione liberata.*

Interim Lotharingius Dux Danubium Jæger Hst.  
 pontibus sterni jussit, habitoque belli Eccl. p. 6.  
 Senatu decrevit, ut totus exercitus sexa- Theatr. Eu-  
 ginta quatuor millibus & quingentis rop. t. 12.  
 constans in Cæcio monte, vulgo *Calen-*  
*berg* convenire niteretur, ita tamen,  
 N 4 ut



Sæc. XVII. ut dexteram alam Poloni, finiftram  
 A. C. 1683. Cæsarei, mediam vero aciem Saxones,  
 Bavarî, Francones Suevique obtinerent:  
 Præmittitur Mercyus cum bis mille equi-  
 quitibus ad explorandas vias, qui undecima  
 Septembris die tuta omnia, nullumque ab hoste,  
 maximum vero ab itinerum asperitate metum esse re-  
 ferebat: nihilominus sub crepusculum dato ad  
 profectionem signo Cæsarei Ductore Lotharingio  
 per aspera & angusta tandem sub mediam noctem oc-  
 cupato D. Leopoldi Sacello utcunque munito,  
 ad montis apicem eluctati sunt, quos media acies,  
 quam Bavarîæ & Saxonîæ Electores ducebant,  
 tardius licet, subsequēbatur. Vezirius comperto  
 Christiani exercitus adventu Equitatum suum  
 circa montis pedem disposuit, nullisque viribus,  
 artificio ac labori pepercit, ut Cæsareis descensum  
 aut prohiberet, aut saltem asperrimum redderet:  
 nihilominus Dux ex ipsa difficultate animosior factus,  
 Leslæo in mandatis dedit, ut in montis faucibus  
 festinato opere suggestus erigeret, & tormentis  
 armaret: id impigre executus, hostem a vicinioribus  
 fossis, viisque deturbavit. Paulopost ipse etiam  
 Poloniæ Rex cum suo agmine ad Camaldulense  
 Cænobium advenit, habitoque cum Duce colloquio  
 censuit, ut hac adhuc die



die totus exercitus integris ordinibus sese in imum dimitteret, altera autem die hostium castra aggredere-  
Sæc. XVII. A. C. 1683.  
 tur: Interim Turcæ ultimis, ac ideo fortioribus, uti morientes solent, viribus Viennæ obsidionem urgebant, obsessi tamen instantis victoriæ fiducia sui- que Gubernatoris magnanimitate erecti, etsi propugnaculis solo æquatis jam non nisi aperto pectore pugnare cogerentur, grandinantes tormentorum globos velut festivos lætitiæ ignes exceperunt.

§. XL.

*Turcæ prælio devicti.*

Tandem duodecima Septembris dies afflictæ urbi lætissima, ac universo Orbi Christiano auspiciatissima illuxit, qua primo pugnæ, mox victoriæ initium fieret: Priusquam vero Poloniæ Rex manus confereret, a Patre Marco de Aviano Capuccino ad aras facienti sacra Synaxi unacum Belliducum Primoribus refici voluit, dein cum agmen obequitaret, suos ita allocutus est.

„Hostem suorum numero tumidum jam  
 „domi vincere consuevistis, exteris in  
 „finibus constitutum, si viceritis, non  
 „modo Viennæ muros, sed & patriæ  
 „vestræ fines firmabitis: agitur de re-  
 „publica Christiana, non Regi sed Deo

N 5

„pu-



Sæc. XVII. „pugnatis, cujus ductu in hunc mon-  
A. C. 1683. „tem sine pugna, sine sanguine eluctati  
 „sumus, nunc cum ad ima descendi-  
 „mus, jamjam se hostes in fossas, sua  
 „veluti sepulcra abdunt, dimidium vi-  
 „ctoriæ in manibus habemus, non a-  
 „liud expectate imperium, nisi ut præ-  
 „euntem Regem vestrum genere se-  
 „quamini.„ His dictis illico festiva om-  
 nium sequebatur vociferatio, victoriæ  
 spes & augurium. Præstituta igitur  
 certamini die Lotharingus Capraram  
 præmisit, ut cum Heisteriana & Saxo-  
 nica legionibus Turcas in insidiis laten-  
 tes deturbaret, quo feliciter peracto ad  
 angustias Nusdorffo vicinas mane hora  
 quarta perventum est, in quibus supe-  
 randis multum laboris damnique im-  
 pensum, donec Leslæus denso globo-  
 rum grandine Turcas, qui subeuntes  
 omni ex latere impetebant, Nusdorffo  
 usque repulisset: sub idem ferme  
 tempus media etiam acies, dextrum-  
 que cornu perruptis per intervalla ho-  
 stium cuneis, Lotharingii copias jun-  
 xit: interim vero crebris utrinque ve-  
 litationibus dimicatum, ac præ cete-  
 ris Parelleus cum suis Voluntariæ mili-  
 tiæ Nobilibus Turcas e situ Christianis  
 infesto feliciter proturbavit: postquam  
 igitur foederatus exercitus quemlibet  
 terræ pugillum proprio curore redeme-  
 rat,



rat, superatis tot locorum ac infidiarum Sec. XVII.  
 difficultatibus cum numerosissimo hoste A. C. 1683.  
 jamjam in aciem disposito agendum erat:  
 præprimis ergo Nusdorffium valido Tur-  
 carum præsidio munitum fuit expugnan-  
 dum: Turcæ suorum numero fisi, Cæ-  
 sareorum impetus incredibili pertina-  
 cia sustinent, ac nonnisi post laborio-  
 sum, cruentumque certamen statione  
 excedunt: occupato hoc pago, Turcis-  
 que e quodam colle dejectis planior ma-  
 gisque opportuna explicandis copiis re-  
 gio aperiebatur: Vezirius autem ea ex  
 parte omnes suorum conatus fuisse e-  
 lufos indignatus, ira in rabiem versa  
 omnem exercitus vim in Polonos effu-  
 dit, suosque in quadam largiore fossa  
 disposuit: unde vallo, lorica, ac subin-  
 de muris tecti, impune quamplurimos  
 trucidarunt: tandem vero a Cæsareis  
 in latus irruentibus in fugam una om-  
 nes conjecti sunt: mox tamen resump-  
 to animo Polonos ad certamen pro-  
 vocare aggrediuntur: nec segnior Rex,  
 Hussaros suos emisit, qui multa cir-  
 cum strage edita demum acrius, quam  
 cautius prælium ineuntes, ad eam re-  
 digebantur necessitatem, ut ab hoste  
 undique circumfufis, aut fœde fugien-  
 dum aut miserabiliter pereundum esset.  
 Jamjam ad Regem proximæ cladis ru-  
 mor pervenerat, dum periculi imme-  
 nior



**Sæc. XVII.** mor in hostem irruit, ac Germanum  
**A. C. 1683** peditatum in opem accurrere jubet:

Advolant quanta maxima poterant celeritate Bavari, & Cæsarei, qui toto impetu in hostes movent, propellunt, ac suggestum hostilibus castris proximum unacum belli tormentis, & reliquo apparatu occupant. Lotharingius quoque post acerrimam pugnam tandem quarta hora pomeridiana viam sibi in Rossavium suburbium gladio aperuit, ac dimidia post hora ad ipsa Turcarum castra penetravit. Tum vero non jam pugna, sed cædes erat, cum Turcæ in quodam propugnaculo castris opposito totam aciem explicant, ac supremo conatu & rabie Polonos, qui ferius irrupere, tam acriter premunt, ut nihil fugæ, nisi quod terga nondum vertissent, deesset: opportune media acies suppetias venit, in hostium latus invecta ex obliquo: Melignus quoque Polonæ Reginae Frater cum suis præsatum occupat propugnaculum, dejectisque inde præsidiariis, Poloni in prælium revertuntur: quo facto Turcæ a tergo circumfusi turbata acie pugnant, suaque agmina improvide cumulantes, conferti & quasi cohærentes sibimetipsis obstant, quo animadverso Poloniæ Rex non Ducis magis quam militis munera executus, cum



cum lectissimo milite tam vehementer in nutantes urget, ut Barbari sese præcipiti fuga in castra reciperent, aggestisque tumultuaria festinatione curibus velut vallum attolerent: Paulo post Bavari, & Saxones ferociter in alterum Turcarum cornu incurrunt, hostem e castris propellunt, totumque exercitum per aperta camporum fœdam in fugam conjiciunt, eventum eminens spectante Vezirio, qui fugientes sistere incassum adlaborans, Tartarorum Principem allocutus: *Et tu, inquit, me adjuvare cunctaris?* tandem & ipse a fugientium multitudine abreptus, relicta obsidione, tormentis, castris, ipsoque equo suo, ceterisque rebus pretiosis Jaurinum, inde Bellegardum præcipiti fuga contendit.

Quamvis pulveris nubes, quam ad cælum elatam non pauci e Cæcio monte conspiciebant, plenam hostium fugam nuntiaret, nihilominus Dux ad explorandos hostiles motus expedivit Mercyem & Badensem Ducem, quibus evacuata Turcarum castra referentibus, Lotharingius victor in fugientium tergis inhæsit, eos absque dubio nova clade prostraturus, nisi ingruentes noctis tenebræ hosti ad Hungariæ fines evadendi copiam præbuisserent.

§. XLI.



Sæc. XVII,  
A. C. 1683.

§. XLI.

*Poloniæ Rex cum ceteris Belliducibus  
Turcarum castra ingressus.*

*Calmet l. c.  
Wagner  
Hij. Leop.  
lib. 8,*

Provide Lotharingius indicta capitis  
pœna suis inhibuit, ne ordine suo  
excedentes prædæ inhiarent; nondum  
enim plene debellatus erat hostis; quip-  
pe sex Janissarorum millia, qui ad Ve-  
zirii tentoria pro Mahometis vexilli,  
necnon ærarii bellici custodia excuba-  
bant, desperatione virtutem aciente  
fortiter adhuc resisterant, quibus ta-  
men una trucidatis Lotharingius hora  
septima copias suas ad Viennensis ur-  
bis mœnia admovit, inter effusas ci-  
vium gratulationes exceptus: Poloniæ  
autem Rex, postquam Turcas ex agge-  
ribus adhuc in victorem exercitum ful-  
minantes deturbaverat, hora noctis deci-  
ma hostium castra ingressus est, cui præ-  
primis Vezirii equus offerebatur, unicum  
deperdito ejusdem stapede & a quodam  
Turca pretiosa Vezirii tentoria mon-  
strabantur: Accurrebant pariter singuli  
Belliduces, Regi tantam victoriam gra-  
tulantes, quibus ille admodum modeste  
respondit, sibi minimum laudis com-  
petere, Electorum auxiliis, Lotharin-  
gii consilio, & Cæsarei militis fortitu-  
dini partem deberi maximam: certe  
singuli



Singuli Belliduces quantum experientia, consilio, animisque valuerint, in hac expeditione testatum reddidere, quos omnes Leopoldus Cæsar, cui Starenbergius Gubernator Neoburgi victoriam nuntiabat, die decima quarta Viennam ingressus, ob rem præclare gestam largiter remuneratus est: Præ ceteris vero Poloniæ Rex superba Vezirii tentoria cum pretiosa suppellectili, prægrande Mahometis vexillum, fatalem equi caudam, sanctius vexillum, ærarium, quod tamen in suos milites erogavit, diurnos Vezirii commentarios, in quibus militum numerus, & rebellium Hungarorum res Indies gestæ, erant conscriptæ, necnon pretiosissimarum pellium, vestium equorumque immensam copiam obtinuit, datisque ad Papam literis, quibus victoriæ Successum paucis memorabat, per Abbatem Denhofium Romam majus Turcici exercitus vexillum (\*) unacum aliis quibusdam ex præda collectis transmisit, ac propterea peculiari diplomate Apostolico ab eodem Pontifice *DEFENSORIS FIDEI* titulo decoratus est. Joannes vero Georgius III. Saxoniae Elector, eo quod obtentæ victoriæ haud parum contulisset, inter alia sat pinquias spolia,

(\*) Illud hodie in Basilica D. Petri Romæ pro anathemate affixum cernitur.



Sæc. XVII. spolia, Exemplar Alcorani elegantif-  
 A. C. 1683. sime scripti unacum commentario Abi

Saudi Kadæi nactus est. Haud minus opima spolia præter festivas gratulationes retulit Bavarix Elector. Reperiebatur etiam in Vezirii tentorio Crux cum pendentis Christi imagine, quam ex Walachia secum deportaverat; conspiciebatur in inferiore crucis parte juxta B. Virginis imaginem Aquila coronæ rutacæe inclusa, in superiore autem ejus parte latina hæc inscriptio: *Crucis exaltatio, mundi conservatio: Crux est ornamentum Ecclesix, Regnorum, Provinciarumque protectio: Christianæ fidei signum atque trophæum, Sanctorum Angelorum gloria & Diabolorum plaga.* Sub Aquila demum hæc legebantur verba. *Nos Cantacuzenus D. G. Princeps & hæres Walachix hic loci præsentem figuram Crucis ereximus, ad promovendam plebis quotidianam devotionem, inque memoriam nostri & nostrorum perpetuam.* Hanc verò Crucem a Vezirio eo fine ex Walachia in Austriam fuisse deportatam, conjiciunt nonnulli, ut occupata Vienna illam in Christianorum ignominiam, ac ludibrium erigere posset. Porro universa Turcarum castra victori militi in prædam fuere concessa: Jacebant totis campis opes sparsæ, in tentoriis, quorum viginti quinque millia  
 fue-



fuerunt direpta, divitiæ: ingens quo-  
 que variæ non minus ac pretiosæ sup-  
 pellectilis copia, non belli, sed luxu-  
 riæ apparatus visebatur, passim strata  
 erant itinera armis, vilioribusque sar-  
 cinis, quas in comparatione meliorum  
 victoris avaritia contempserat; equi  
 pene innumeri vilissimo vendebantur  
 pretio, quinque camelorum, & decem  
 boum millia obvio æs offerenti con-  
 cedebantur; cumque prædantium mi-  
 litum manus prædæ non sufficerent,  
 cives ex urbe advolarunt, qui immen-  
 sam frumenti, & orizæ copiam in  
 famelici stomachi levamem secum retu-  
 lerunt, tanta etiam peponum *Cassè* vis  
 reperiatur, ut promiscuus usus bar-  
 bari hujus potus suam epocham ab hoc  
 spolio in Germania repetere videatur.  
 Ex centum octoginta belli tormentis,  
 quibus Turcæ urbem oppugnabant,  
 nonaginta octo in armamentarium Vien-  
 nense, cetera inter Principes distributa  
 fuere: Ne vero Colonitio Episcopo stre-  
 nue in defendenda urbe laboranti, sua  
 deesset præda ipsi præ ceteris gratissi-  
 ma, ferme quingentos orbos infantes  
 totis castris ipsemet conquiisvit, eosque  
 paterna plane cura ac liberalitate in fide  
 Catholica instituendos suscepit. Ut au-  
 tem Exercituum Domino, ac Liberatori  
 Deo debitæ fierent Laudes, Cæsar &  
*Hist. Eccles. Tom. LXX. Q Po*

Sæc. XVII.  
 A. C. 1683.



Sæc. XVII. Poloniæ Rex cum omnibus ceteris Bel-  
 liducibus urbem ingressi, Templum S.  
 Stephani accessere, ipsoque Polono  
 hymnum Ambrosianum intonante &  
 Episcopo Colonitio sacris operante,  
 una omnes Deo Maximo grates persol-  
 verunt: Bavarus quoque Elector en-  
 sem, quem Oettingæ acceperat, Cæ-  
 sari præsentans, dixit, nunc primum  
 se eo in Austriacæ gentis commoda,  
 & in ejusdem, ac Religionis hostes  
 usurum: præfatus autem Episcopus a  
 Cæsare petiit, ut dejecta e turris apice  
 Luna Mahometana, quæ Anno 1529,  
 Sultani jussu apposita erat, ejus loco  
 Crux Christi affigeretur, quod etiam  
 mox duorum Tyrolensium conatu esse-  
 ctum est.

## §. XLII.

*Vezirii sævitia in suos Belliduces.*

Viennensis Urbis obsidio a decima  
 quarta Julii ad septimam Septem-  
 bris diem, (uti ex Vezirii tabulario  
 compertum erat) Sultano stetit impen-  
 dio duodequingenta millium &  
 quingentorum: cecidere Bassarum prin-  
 cipes tres, Janissarorum Tribuni quin-  
 decim: a die autem septima ejusdem  
 Mensis desiderata sunt triginta duo Tur-  
 carum millia. Ex obsessis septem mil-  
 lia



lia ferro, morbo autem haud plures Sæc. XVII  
 periere: in acie pene quatuor millia, A. C. 1683,  
 ex quibus præcipui Julius Ludovicus  
 Sabaudia Princeps, Thomas Arem-  
 bergius Dux, Thomas Princeps Croyus,  
 & Trautmarsdorffius Comes. Tantillo  
 impendio tam ingens stetit victoria, to-  
 tiusque Christiani Orbis servata liber-  
 tas: Vezirius autem dolorem inde con-  
 ceptum nonnisi horrenda suorum lanie-  
 na temperare poterat; præprimis enim,  
 cum præter turpem fugam nil sibi re-  
 liquum cerneret, suas concubinas, ne  
 Christianis cederent, ipse rabie im-  
 mani jugulavit, multosque ex Christia-  
 nis captivos trucidari præcepit: postea  
 Kisler-Agam Budensem Budam, quem  
 oppugnandæ Viennæ consilio semper  
 oblituisse noverat, ipse suo acinace con-  
 fodit, eademque crudelitate Effekii &  
 Possægæ Bassas, necnon Ductores quin-  
 quaginta interfici iussit; nec tamen hac  
 barbarie militis odia, & Sultani furo-  
 rem declinare poterat. Hic enim tum  
 Belgradi degens, accepto cladis nun-  
 tio in tantas erupit furias, ut parum  
 abesset, quin infelicis expeditionis te-  
 stem pugione confoderet; insuper præ-  
 ter plurimos Bassas capite truncatos  
 ipsum Vezirium strangulari, ejusque  
 pellem corpore detractam sibi Adria-  
 nopolin transmitti præcepit: Moscoviæ  
 O 2 etiam



Sæc. XVII. etiam Legatum, qui Czechirini aliarum-  
A. C. 1683. que urbium nuper Russis ereptarum re-  
 stitutionem urgebat, pessime habuit, plures ex Proceribus Græcis & Judæorum primoribus trucidari, ipsum Patriarcham Constantinopolitanum unum cum præcipuis ejus Ministris, perinde ac si cum Moscho clandestina agitaissent consilia, interfici jussit, a Gallis tamen placatus mortis pœnam postea remisit.

## §. XLIII.

*Pugna ad Barcanum Polonos inter  
& Turcas.*

*Calmet Hist. de Lorrain. t. 3. l. 40. pag. 930.* Post tantam cladem injectumque terrorem absdubio hostis ad internecionem deleri potuisset, si ad legendos victoriæ fructus non deferbuisset Fœderatorum ardor; sexta enim ab liberata Vienna die jam Saxo cum suis in patriam reversus est, Waldeckius quoque Princeps, qui Franconiæ & Sœviæ copiis præerat, ad novas expeditiones sibi nova quoque mandata fore expetenda caussabatur, denique ad ultiores progressus parum animorum undique elucebat, ac Turcæ vel ideo penitus devicti non fuere, quia victores diutius vincere tæduit. Bavarus quoque Eiector demum se reversurum declarabat, nisi alieno imperio solutus, sepa-



separatum agmen solus ducere permit-  
 teretur: Plurimum Cæsaris intererat, Sæc. XVII.  
A. C. 1683.  
 ut hic Elector copias suas adhucdum  
 junctas servaret, quapropter Leopoldus  
 eidem negotium dedit, ut Imperii  
 copiis præfectus, Neosolium obsideret,  
 interim vero Lotharingius hanc obsi-  
 dionem cum reliquo Cæsaris exercitu  
 promoveret. Ea res vehementer offen-  
 dit Lotharingium, qui missionem suam  
 fecisset, nisi a Polono Rege placatus  
 fuisset, postea cum Cæsareo & Polono  
 exercitu, seclusis ceteris fœderatis, Co-  
 morram movit; in itinere Budianus  
 Comes, percepta Turcarum clade in  
 Cæsaris obsequium reversus, mille quin-  
 gentos Turcas, quos duxerat, partim  
 interfecit, partim captos Cæsareis tra-  
 didit, conspirante Recheno Comite,  
 qui unacum sex rebellium millibus ad  
 Leopoldi Imperatoris vexillum reversis  
 Turcas strenue infecutus est: Accepto  
 interim nuntio, quod Turcæ trajecto  
 Danubio Cæsareis ac Polonis obviam  
 irent, Poloniæ Rex inconsulto Lotha-  
 ringio, nec exspectato Cæsarei pedita-  
 tus adventu motis castris Barcanum  
 contendit, ast nondum instructa acie a  
 Turcis undique circumfusus, interne-  
 cina clade deletus fuisset, nisi Lotha-  
 ringius omni, qua poterat, celeritate  
 cum suis accurrens, die nona Octobris



Sæc. XVII. in dexteram hostis aciem irrupisset:  
A. C. 1683. Tum vero Turcæ assiduam Germani militis dis-  
 plosionem non ferentes, primo retrocessere, mox ruptis ordinibus tam præcipiti fuga sibi consuluerunt, ut ponte fugientes haud capiente aut undis hausti, aut glandibus trajecti perirent: densior acies, majorque pugnandi pertinacia erat in lævo cornu Turcarum; mox igitur Duenwaldus agmen suum a tergo dimicantium opponit, & aliunde loci angustia constrictos, ut sese mutuo impedirent, arctius constringit: Poloni quoque paulo ante territi, jam nova alacritate ac fiducia ad pugnam accensi subditis calcaribus in nutantem hostem prouunt: Jamjam Turcæ signa convertere videbantur, cum nuntiatum Lotharingo, ingenti fugientium multitudine oneratum ruptumque esse Danubii pontem, plurimosque armis graves, & prælia ac fuga defatigatos gurgitibus haustos: Expedit a vestigio Starenbergium, qui perruptis sepimentis, occupatoque agere Barcanum ad deditiorem compulit, promiscua strage deletis omnibus incolis; non enim Ducis imperio refrænari poterat Polonorum rabies; sociorum enim capita perendie a Turcis affixa cernentes, nulla ætatis sexusque discrimine miseros ferro, ædes, murosque flamma absumserunt: converso demum furo-



furore in natantes, cunctos velut æqua-<sup>Sæc. XVII]</sup>  
 ticas aves glandibus trajecerunt, & <sup>A. C. 1683.</sup>  
 præter captos mille ducentos insuper  
 octingentos, qui intra recinctum sese  
 receperant, ad deditionem compulsos  
 ad reparanda Viennæ mænia abstra-  
 xere: Parta hac victoria rebelles Hun-  
 gari, etsi haud procul dissi, suppet-  
 tias ferre minime ausi sunt, sed rebus  
 veluti deperditis eorum Primores Po-  
 loniæ Regi supplices advoluti, veniam  
 exorarunt; ast a Rege sine responso ad  
 Lotharingium remissi, cum indignas  
 pacis condiciones proposuissent, pariter  
 ab eodem rejeſti sunt: Hæc severitas  
 ceteris tantum incussit terrorem, ut  
 Gubernatores ad Cæsaris obsequium  
 reversi, Tatam, Vesprinium, Papam  
 Setfinum, & Levam urbes dederent:  
 Die autem vigesima secunda Octobris  
 Cæsarei, Poloni ac Bavari Strigonium  
 obsidere parant, hancque urbem triduo  
 post deditione capiunt; Finita igitur  
 gloriosa hujus anni Expeditione Polo-  
 niæ Rex suis in hyberna dimissis Cra-  
 coviam reversus est: Lotharingius vero  
 copias suas in Hungaria Superiore in  
 stativa collocavit, Lincium ad Cæsa-  
 rem profectus, ubi incredibili gratu-  
 latione a Leopoldo, Papæ Nuntio, &  
 Hispaniæ Legato, totaque urbe rece-  
 ptus est: Demum Bavariæ Elector



Sæc. XVII. cum suis die vigesima nona Octobris  
A. C. 1683. ex Hungaria abiit.

## §. XLIV.

*Galliæ Regis Victoriæ.*

*Latom. Re-* Bello Hispanis denuntiato, captisque  
*lat. Hist.* in Belgio quibusdam Urbibus Cree-  
*Carol. me-* quius Franciæ Marecallus cum novo  
*moral. l. 9,* exercitu Lucemburgum versus contem-  
*Hode l. c.* dit, hancque urbem innumera globo-  
*pag. 253.* rum ignitorum procella verberare cæ-  
*Cont. Chron.* pit, non sine magno ædium damno.  
*Hist. l. 10.* Mitius habebantur Argentinenses; quip-  
*pag. 302.* pe Rex capta urbe fidem Catholicam  
 restaurare intentus, PP. Capuccinis pro  
 ædificando ibidem Monasterio decem  
 Imperialium millia, Monialibus vero  
 Marchionum Badensium ædes consigna-  
 vit, celebrato autem quatrividua so-  
 lemmitate Jubilæo, die vigesima sexta  
 Julii per universam Alsatiæ edictum  
 promulgari iussit. vi cuius omnes Lu-  
 therani & Calvinistæ, si Catholicam fi-  
 dem amplexuri essent, ab omnibus tri-  
 butorum civilium oneribus liberi pro-  
 nuntiabantur: accessit insuper eximia  
 pietas Chamillyæ Matronæ, quæ Ar-  
 gentinensi Gubernatori nupta Gerners-  
 heimii plurimos Calvinistas ad eju-  
 randam sectam perduxit: Meisenhemii ve-  
 ro, Ducatus Bipontini oppido Galli  
 qui-



quidam Prædicantem in Curiam evocabant, captumque custodiæ dabant, quo comperto mulierculæ turmatim convolantes, armisque munitæ in Gallos irruerunt, suumque Præconem liberarunt: Sub idem tempus Algeriani damnis anno priori a Rege illatis magis irritati quam domiti, obvias quasque Gallorum naves interceperunt: inde vero vehementer offensus Rex de novo illos bello petere decrevit: Igitur Duchenius Franciæ Archithalassus die vigesima sexta Decembris Algeriam urbem quaterre cæpit, evibratisque aliquot glandium millibus tantam ædium civiumque stragem edidit, ut obsessi armata rabie Ducem suum ad petendam pacem compellerent: Duchenius vero omnes respuit conditiones, nisi prius non modo Galli, sed ceteri omnes in Gallorum navibus capti quantocius liberi dimitterentur, cunctaque damna Gallis illata resarcirentur: Parandum erat victori; mox igitur quingenti quadraginta sex capti ad Gallorum castra remittuntur: inde vero exacerbati Algerienses, suum Ducem jugulant, eique suffecto Archithalasso suo, bellum redintegrant, cunctisque Gallis in urbe interfectis, Vacherum Virum Apostolicum, qui Consulis vices agebat, cum plurimis aliis misere trucidant.



Sæc. XVII. dant. Tandem vero undique navibus  
 A. C. 1683 cincti anno sequenti Mense Aprili pa-  
 cem a Gallis extorserunt.

## §. XLV.

*Censura Facultatis Parisiensis Theo-  
 logicæ in aliquam propositionem  
 circa Pontificis auctoritatem.*

*Argentre'  
 Coll. de no-  
 vis error.  
 Jud. t. 3.  
 pag. 147.  
 Abrege  
 chron. de  
 l'Hist. Eccl.  
 pag. 485.*

Ineunte hoc anno Regius Senatus, ne  
 sese caussis mere Ecclesiasticis im-  
 miscere videretur, Parisiensem Facul-  
 tatem rogabat, ut suum iudicium de  
 sequenti hac propositione ferret: *Ad  
 solam Sedem Apostolicam divino immuta-  
 bili privilegio spectat de controversiis fidei  
 judicare*: Die igitur prima Februarii Fa-  
 cultas quosdam selegit Doctores, qui  
 præfatam propositionem expenderent,  
 ac desuper quid statuendum referrent:  
 His ergo die prima Martii suum judi-  
 cium ferentibus, Facultas post quadra-  
 ginta quinque deliberationes per Depu-  
 tatos habitas die decima octava Maij  
 suam quoque pronuntiavit sententiam,  
 in qua amplissimis verbis profitebatur,  
 quod Romani Pontificis jura non modo  
 illæsa esse velit, sed & quavis occasione  
 data religiose venerata sit, idque copiose  
 exposuerit, ac strenue defenderit, nunc  
 quoque pro antiqua sua in sedem Apo-  
 stolicam reverentia diserte repetere ve-  
 lit,



lit, quod olim non semel professa sit, Sæc. XVII.  
*Romanum Episcopum unum esse jure Divi-* A. C. 1683.  
*no summum in Ecclesia Pontificem, cui om-*  
*nes Christiani parere tenerentur, & qui*  
*immediate a Christo non honoris solum, aut*  
*dignitatis, sed & potestatis ac jurisdic-  
 tionis Primatum habeat in tota Ecclesia.* His  
 ita præmissis demum Facultas sic cen-  
 suit: *Hæc propositio, quatenus excludit*  
*ab Episcopis & Conciliis, etiam generali-*  
*bus judicandi de fidei controversiis auctori-*  
*tatem, quam habent immediate a Christo,*  
*falsa est, temeraria, erronea, praxi Ec-*  
*clesiæ adversa, Verbo Dei contraria, &*  
*doctrinam renovans alias a Facultate repro-*  
*batam.* Verum ad quem de motis fidei  
 controversiis spectabit judicare, quando  
 Concilia convocare non vacat (\*)? Huic  
 censuræ ansam præbuit decretum, quod  
 Strigoniensis Archiepiscopus, uti supra  
 memoravimus, anno priori adversus  
 Cleri Gallicani declarationem edidit,  
 & quatuor Cleri Gallicani propositiones  
 proscripsit, donec super eas prodierit in-  
 fallibile Sedis Apostolicæ oraculum,  
 ad quam solam divino & immutabili  
 privilegio spectet de controversiis fidei  
 judi-

(\*) Hoc decretum seu Epistolam Synoda-  
 lem Archiepiscopus secundo Richerianarum  
 vindiciarum libro annexam unacum notis  
 quorundam Theologorum vulgavit.



Sæc. XVII. A. C. 1683. judicare, quocirca Parisiensis Senatus  
illud die vigesima tertia Junii suppressit,  
unacum disquisitione Theologico-Juri-  
dica super præfata Cleri declaratione  
Leodiensibus literis excusa.

## §. XLVI.

*Seditiosi motus Calvinistarum in  
Galliis.*

*Jurieu  
Esprit d'Ar-  
naud part.2.  
fol. 338.  
Lettre de  
Tourn. &  
Langued.*

Quamvis Ludovicus XIII. Franciæ  
Rex Calvinistarum vires, ne ite-  
rata rebellione Regnum extremo invol-  
verent exitio, haud parum fregisset,  
pluresque eorum urbes munimentis,  
mæniisque nudasset, quia tamen ipsis  
adhucdum perniciosæ sectæ libertatem,  
necnon ad publicum cultum Tempora  
reliquerat, hinc seditiosos horum motus,  
Religionis obtentu honestandi occasio  
remanfit: hanc ut eis Ludovicus XIV.  
adimeret, plura eorum fana occlusit,  
& Prædicantibus silentium indixit, at-  
que emissis Viris Apostolicis sectæ falsi-  
tatem eis demonstrari jussit, magnum-  
que eorum numerum ab errore retraxit,  
simul tamen suo experimento didicit,  
quod virulentæ hujus hydræ capita, si  
duntaxat per partes refecentur, mox  
renascantur, ac rebellionis venenum eo  
periculosius diffundant; quamprimum  
enim Rex Mont-pellulis, Montalbani,  
Nera-



Neraci, & Bergeraci Hugonotarum Sæc. XVII.  
A. C. 1683.  
 Tempa contra Nannetense edictum e-  
 recta everti jusserrat, atque Hugonotas  
 a suo, & regionum Principum servitio  
 excluderat, mox Pictavienses, Santo-  
 nenses, Cevennenses, Delphinates &  
 Vivarienses Calvinistæ convenere, col-  
 latisque inter se consiliis destructas Ec-  
 clesias insuperhabito Regis interdicto  
 restaurare, conventus habere, sumptis-  
 que armis suam religionem tueri de-  
 creverunt: Inter plures alios hujus  
 conventiculi articulos cautum erat, ut  
 Prædicantes die decima octava Julii in  
 omnibus locis, ubi sectæ exercitium  
 nuper fuisset interdictum, publice ad  
 populum dicerent: nec Regno exce-  
 derent, minus vero Regiis mandatis  
 parerent. Priusquam vero petulans  
 hoc decretum exequerentur, Regi sup-  
 plicem porrigebant libellum, in quo  
 demonstrare nitebantur, „eorum sectam  
 „fidelitati Deo & Regi debitæ non ad-  
 „versari, eos enim nil aliud intendere,  
 „quam Deum glorificari, & fidelitatis  
 „juramentum suo sanguine (fors Am-  
 „basæ vel Rupellis) firmare: hinc eis  
 „haud toleranda esse obreptitia Regio-  
 „rum Ministrorum, hostium suorum,  
 „edicta, cum ea cum Dei præceptis  
 „componi haud posse viderentur, eo-  
 „quod Deus sibi Hymnos & cantica  
 „offer-



Sæc. XVII., offerri, proles & domesticos Verbo  
A. C. 1683. „Dei imbui præciperet: merito eorum  
 „doctrinam, & cultum Regi exolum  
 „fore, si abominabilis, & scandalosus  
 „effet, aut creaturam Deo præferret,  
 „nunc vero eorum crimen, & suæ Re-  
 „ligionis discrimen a Catholica unice  
 „in eo consistere, quod Verbum Dei  
 „verbo hominum præferrent, & soli  
 „Deo, non autem creaturis cultum re-  
 „ligiosum exhiberent, proin eos vivere  
 „non posse, nisi ad Deum sic colendum  
 „suos cætus habere permetterentur,  
 „secus, se palam coram Deo testari,  
 „quod parati sint, se exponere omni se-  
 „veritati, quam Regiis Ministris, præ-  
 „servidus Zelus inspirare posset. „ Ve-  
 rum Hugonotæ nequidem expectato  
 Regis responso in Vivariensi Provincia  
 particulare condiderunt decretum, vi-  
 cius denuo cunctis Prædicantibus in-  
 junctum, ut in omnibus prædicarent  
 locis, ubi Rex Religionis suæ exerci-  
 tium interdixisset. Horum exemplum  
 sequebantur Cebennenses & Delphina-  
 tes, ceteri vero majore adhucdum ute-  
 bantur moderatione & prudentia: E-  
 contrario Vivarienses ad tantam pro-  
 rupere insolentiam, ut convocato totius  
 Provinciæ conciliabulo sequens pro-  
 mulgarent decretum: „Communi to-  
 „tius nostræ Ecclesiæ consensu coram  
 „Deo



Sæc. XVII.

A. C. 1683.

„Deo declaramus, nobis ratum fixum-  
 „que esse, Regi nostro, omnibusque  
 „eo inferioribus debitam fidelitatem,  
 „obsequiumque inviolabiliter servare,  
 „simulque pene paratos esse, hanc ve-  
 „ritatem ultima etiam sanguinis nostri  
 „gutta firmare: quoniam vero Clerus  
 „fontem Regiæ clementiæ in miseros  
 „Religionis nostræ subditos obstruxerit,  
 „& plurima edicta ac declarationes con-  
 „tra Nannetense edictum, & hucusque  
 „a tempore Henrici usque ad annum  
 „1659. possessam conscientiæ libertatem  
 „extorserit, hinc decrevimus, nos pre-  
 „tiosam hanc conscientiæ libertatem  
 „usque ad ultimum vitæ nostræ hali-  
 „tum propugnaturos, de Regis clemen-  
 „tia sperantes, eam esse perpenturam,  
 „quod præfata edicta a dicto Clero ex-  
 „torta cum obedientia Deo debita, &  
 „in nostro libello supplici expressa com-  
 „poni nequeant, si vero, quod absit,  
 „Clerus nostræ innocentæ prævalere,  
 „& Regis auctoritate ac nomine, uti  
 „hucusque fecerit, ad opprimendos  
 „subditos adeo innocentes, & unice ob-  
 „religionem exosos abuti voluerit, tunc  
 „declaramus, nos animo constituisse,  
 „quod vim repellere, huicque nostrum  
 „oppressioni omni virium conatu resi-  
 „stere velimus, mala inde oritura Di-  
 „vinæ Providentiæ committentes: Ea-  
 „pro-



Sæc. XVII. „propter, ne præveniamur, aut copiis  
 A. C. 1683. „a Clero immisissis inopinate opprimamur,  
 „rupta omni mora Præsides delectum  
 „faciant omnium illorum, qui arma fe-  
 „rendo pares sunt, ut legionibus exin-  
 „structis tam pro ditionum nostrarum  
 „conservatione, quam adjuvandis ce-  
 „terarum Provinciarum fratribus Cleri  
 „violentis obsisti possit.„ Hanc Reli-  
 gionis tuendæ rationem Hugonotæ  
 absdubio a primitivæ Ecclesiæ Christia-  
 nis didicere: quantumvis vero hoc e-  
 dictum apertæ rebellionis classicum ef-  
 fet, nihilominus tam Vivarienses, quam  
 Delphinates illud executioni dare festi-  
 narunt, & quidem die undecima Julii  
 San-Hyppolitani Calvinistæ in Occi-  
 tania, postea die decima octava Viva-  
 rienses, & vigesima secunda Delphi-  
 nates suæ sectæ conventum publice ha-  
 buerunt, insuper die septima Augusti  
 Burdegalæ Delphinatus oppido ducenti  
 Calvinistæ armati conventum habuere,  
 & contempto Regis interdicto Prædi-  
 cantis sui sermoni interfuere, simulque  
 stanea vasa in glandes conflarunt. Re  
 comperta Rex ad tantam eorum petu-  
 lantiam obstupuit, utque seditiosos hosce  
 motus tempestive compesceret, San-  
 ruthanum Franciæ Marescallum cum  
 quinque circiter Equitum millibus in  
 rebelles hæc Provincias emisit, dato  
 nego-



negotio, ut inhibitos ejusmodi cætus Sæc. XVII.  
 præpediret: nihilominus Hugonotæ A. C. 1683.  
 suos conventus habere pergebant, quos  
 cum Gratianopolitani Senatus Præses  
 die octava Augusti dissipare vellet, ipsi  
 sumptis armis turmatim advolantes mi-  
 litem trucidarunt; incassum turbas se-  
 dare conabatur Valentianus Episco-  
 pus; regium igitur militum adhibere  
 oportuit; postquam igitur Marescallo  
 nuntiatum, in præfato oppido rursus  
 Hugonotas convenisse, mox cum se-  
 ptingentis Equitibus eo movit, præ-  
 cepitque rebellibus, ut interrupto ser-  
 mone positisque armis ad sua rever-  
 terentur: hi vero parere renunt, suos  
 in aciem disponunt, & sclopos exonerant,  
 Legionisque Tribunum, quinque Cen-  
 turiones, & circiter nonaginta Equites  
 trucidant, præter plurimos vulnera-  
 tos, qui una omnes utpote staneis glo-  
 bis percussi paulopost exspirarunt: Ex  
 Hugonotis cecidere nonnisi quinquaginta:  
 Hoc successu elati Calvinistæ, in reliquum  
 agmen impetum fecere, armisque sibi  
 viam aperientes, in quodam horreum  
 sese receperunt: Instant fugientibus  
 Equites, injiciunt ignem, cujus fumo  
 molestati rebelles foras progressi sunt,  
 ex quibus eorum Præco, cum prior  
 egrederetur, trucidatus est, capti  
 fuere nonnulli, qui laqueo suæ seditio-  
 nis

*Hist. Eccles. Tom. LXV.*

P

nis



Sæc. XVII. nis, quam *modestissimam resistantiam* vocare  
 A. C. 1683. audebant, pœnas dederunt, ceteris ad  
 proximam sylvam profugis: Postquam  
 vero Marefcallus plusquam sexcentos  
 Hugonotas armis instructos in præfa-  
 tam sylvam secessisse compererat, duas  
 legiones admovit, ibidem castra metra-  
 turus: ast Calvinistæ intellecto ejus ad-  
 ventu mox campanæ signo omnes inco-  
 las ad arma convocant, suoque pago  
 egressi montem ascendere parant: in  
 opem descendunt magno numero socii,  
 in quos, ne se ceteris jungerent, Ma-  
 refcallus impetum fecit, & trucidatis  
 eorum sexdecim reliquos secedere co-  
 egit, ac continuato ardore in Hugono-  
 tas in montis pede hærentes movit:  
 resistunt hi animo prorsus intrepido,  
 ac desperatione audaciam aciente tres  
 regiones occidunt, & pugnando in proxi-  
 mas vineas, inde vero in quamdam  
 domum retrocedunt, ubi tamen eorum  
 plusquam triginta fuere glandibus tra-  
 jecti: nihilominus a Marefcallo ad de-  
 ditionem provocati, rejecta veniæ pol-  
 litatione tamdiu incredibili pertinacia  
 regionum assultus sustinuerunt, donec  
 tota domus injectis ignibus inflammata  
 arderet, ac potissimis eorum fumo e-  
 nectis ceteri semiusti turmatim pro-  
 rumperent, præcipiti fuga pœnas de-  
 clinaturi, verum a Regiis intercepti,  
 eorum



eorum decem trucidati, & quatuor alii  
 in furcam acti sunt: Jufferat Marefcal-  
 lus oppidum incendi, Præfecto autem  
 veniam deprecante, incolis præcepit,  
 ut positis armis intra spatium viginti  
 horarum domum quieti reverterentur.  
 Dissipatis hisce rebellibus Vivarienses  
 Hugonotæ pariter sumptis armis sub  
 Religionis tuendæ obtentu seditionem  
 propagarunt, in Delphinatum opem  
 concursuri. Itaque duas urbes ad Rho-  
 num sitas occupant, omnem commea-  
 tus, bellique apparatus necnon duo  
 Regia pulveris nitrati molendina inter-  
 cipiunt, & ubique conventus ac sermo-  
 nes habent, aut conscientiæ libertatem  
 vindicare aut mortem oppetere parati.  
 Die etiam prima Septembris San-Hyp-  
 politani Hugonotæ Vivarium duos ab-  
 legabant, qui hujus Urbis Prædicantes  
 compellerent, ut Bulhargii & Mil-  
 havii, ubi jam decem abhinc annis eo-  
 rum Tempa fuere everfa, publice præ-  
 dicarent: cum autem hujus Urbis in-  
 colæ numero centum quinquaginta, ex  
 his Præconibus duos minus propensos  
 crederent, eos convitiis & injuriis affe-  
 cerunt, omnesque totius Provinciæ in-  
 colas ad seditionem concitarunt. Has  
 turbas præventurus Noaillius Dux jussu  
 Regis veniam ac præteritorum oblivio-  
 rum obtulit, si positis armis ad obse-  
 quium

Sæc. XVII.  
 A. C. 1783.

P 2



Sæc. XVII. quum redirent, & Tempa in locis  
 A. C. 1683. ubi seditiosi tumultus fuere concitati,  
 everterent: Enimvero Nobiles, & Prædicantes numero viginti sex Chalan-  
 soniæ convenerant, qui sese Regis clemenciæ submittere decreverunt: cives  
 vero ac utriusque sexus incolæ oblatam gratiam acceptare recusarunt, eoquod  
 reliqui eorum Prædicantes & præcipue seditiosis Authores a veniæ gratia ex-  
 clusi essent, simulque tumultuariæ conciones in locis antea interdictis prohiberentur: Noaillius ergo obstinatos re-  
 reprimere coactus, concubia nocte Chalan-  
 soniam versus præcipuam rebellionis  
 sedem cum suis movit; verum octingenti  
 ferme rebelles prope Vernolium in syl-  
 va latentes in Regios impetum urgent,  
 trucidato tamen eorum Ductore diver-  
 sos saltus & ignotos insequentibus cal-  
 les petunt: Instat tamen fugientibus E-  
 ques regius, ac rebellium alios in fuga  
 occidit, alios, qui hostem declinatum  
 arbores conscenderant, velut aves glo-  
 bis trajicit: ipse etiam Sanruthanus di-  
 spersos insecutus, eorum tredecim com-  
 prendit, quibus, si hæresin ejurare  
 vellent, vitæ gratiam obtulit, duode-  
 cim tamen in sua secta immortuos la-  
 queo multavit, solique tympanistæ  
 vitæ veniam dedit, ea lege, ut carni-  
 ficis vices subiret: Cecidere ex rebel-  
 libus



libus plusquam centum viginti, atque Sæc. XVII.  
inter eos quatuor Prædicantes, Regio- A. C. 1683.  
rum vero quinque, fauciis quodam Cen-  
turione, & Locumtenente: inde vero  
Noaillius ad Chambladensem arcem ab  
Hugonotis infessam contendit: Excipi-  
tur denso globorum grandine, innoxie  
tamen suos equis descendere jubet,  
aciemque disponit; demum obsessis om-  
nibus arce excedentibus Chalansoniam  
pervenit; ad cujus conspectum Calvi-  
nistæ una omnes ad præaltos montes,  
præcipitesque rupes evaserunt, relicta  
nonnisi unica vetula religione Catho-  
lica: postea diruto eorum fano, motis-  
que castris Noaillius ad oppidum S. Fortu-  
nati contendit, ubi Hugonotas post atrox  
prælium devictos in montibus per sex  
leucas infecutus, tandem eorum Tem-  
plum evertit, ac Turnonii Valettam  
Nobilem, & quemdam Prædicantem,  
præcipuos Cebenensis motus auctores  
in vincula conjici, & Danielelem Cha-  
mierium, alium Prædicantem apud  
Montem Adimaris capitali rota interim  
jussit, eo quod tympanistam a Sanru-  
thano submissum scolo po trajiciens di-  
xisset: *hoc responsum ad tuum perfer Do-*  
*minum:* Postea die vigesima tertia Se-  
ptembris ex Regis clementia cunctis  
Occitanicæ Calvinistis, suppresso etiam  
articulo de Prædicantibus, & Tem-  
ple-



Sæc. XVII. plorum everfione, criminum venia de  
 A. C. 1683. nuntiabatur: Enimvero Sanhypolitani  
 Hugonotæ, fe a publicis feftæ fuæ exer-  
 citiis ceffaturos spondebant, dummodo  
 deleta præteritorum memoria, eis haud  
 fufpectæ fidei Judices darentur, atque  
 intra quindecim dierum fpatium Tem-  
 plum reftaurandi facultas concedere-  
 tur: alii tamen in fua pervicaciâ obfir-  
 mati arma ponere detrectarunt, eorum-  
 que ducenti a Regio milite preffi ad  
 montes fe fe receperunt: Ita Calviniftæ  
 nequidem devicti pertinacem petulan-  
 tiam deponere didicerant: Nihilomi-  
 nus Noaillius die vigefima octava Se-  
 ptembris denuo veniam reis obtulit,  
 incaffum tamen, quocirca cum octin-  
 gentis Equitibus ad oppidum S. Hyp-  
 politi proceffit, fuosque in ftationes di-  
 ftribui petiit; repulfa autem accepta,  
 fpretæque veniæ oblatæ gratia die de-  
 cima Octobris urbem inter mutuas fuo-  
 rum, civiumque cædes ingreffus eft;  
 Calviniftæ enim, qui nuper ad montes  
 confugerant, in urbem revocati in Re-  
 gios irruere, & incredibili furore tu-  
 multuati funt, donec numero inferiores  
 ad fuas latebras repulfi effent: Post-  
 quam vero armis obfiftere haud pote-  
 rant, fuam feftam falis, uti ad annum  
 hujus sæculi octogefimum octavum re-  
 feremus, prophetiis tueri, & religio-  
 nem



nem Catholicam, Regem suum, ejus-<sup>Sæc. XVII.</sup>  
que Ministros & Sacerdotes calumniis, <sup>A. C. 1683.</sup>  
famosisque libellis proscindere moliti  
sunt.

§. XLVII.

*Renovata Protestantium Conspiratio  
in Angliæ Regem, ejusque  
Fratrem.*

Cum Protestanticæ rebellionis hydra, <sup>Priet. An-</sup>  
quæ dudum sub Catholicæ con-<sup>nal. cont.</sup>  
spirationis velo latuerat, ob Puritano-<sup>pag. 965.</sup>  
rum numerum & potentiam uno ictu <sup>Theatr. Eu-</sup>  
confici haud posset, etiam Schafburio <sup>rop. tom. 12.</sup>  
Comite conjunctionis Antesignano in <sup>pag. 583.</sup>  
Hollandiam profugo nuper resecta per <sup>Godfrid. hist.</sup>  
partes capita hoc anno renasci videban-<sup>Chron. l. 10.</sup>  
tur; jam enim anno priori ineunte  
Mense Novembri Monmuthus Dux,  
Grayus, Ruffelius, Rumboldus, Tho-  
mas Armstrongus Nobiles & Fergessio-  
nius Præco in Stephardii Comitis ædi-  
bus prope Nevarcham convenerant, ubi  
de intercipiendo Regis Satellitio, de  
quibusdam Provinciis ad conjunctionis  
societatem vocandis, aliisque ad ca-  
piendum vel trucidandum Regem, ejus-  
que Fratrem opportunis mediis ageba-  
tur. Præplacuit horum consilium, qui  
Senatum sex Virorum eligendum sua-  
debant, quorum sollicitudine omnia



Sæc. XVII. procurarentur, quæ ad meditata felicitate  
 A. C. 1683. citè exequenda conferrent; Seligebantur ergo Monmuthus, Effexius, Russellius, Sidneyus, Hambdenus, & Howarthus. Horum jussu destinabantur, qui Scotiæ insurrectionem urgerent Argilius Comes non levis inter Scotos estimationis, & Aaronus Schmith, quibus ingens auri vis numerabatur, ut arma rebellibus ministranda coemerent. Indicebatur etiam Mensis Martius, in quo Rex ejusque frater de more ad ruris delicias urbe egressi, in itinere, dum Nevarcha redirent, unacum omnibus suis a sicariis, qui occulti secus viam in domo unius e conjuratis adventuros observarent, confoderentur. Descripti insuper fuere alii, qui eadem die Londini sub convivii obtentu congregati, ad primum trucidati Regis rumorem, plebem famosis libellis, ac seditiosa præsentaneæ libertatis conclamatione ad arma capeffenda concitarent, inde occupaturi palatium, arcemque, in qua omnes ceu Magistratus, ceu Præfidiarii enecarentur, si qui eorum consiliis obsistere auderent; ex illis enim non paucos sibi aliunde conspiraturos sperabant; Regi enim infensos noverant, eo quod hic die septima Februarii Londinensem urbem ob grave tributum Regiis mercibus impositum & petulantibus



lantes literas Regi porrectas omnibus Sæc. XVII.  
 privilegiis exuisset: His igitur provida A. C. 1683.  
 cura, magno sumptu, & summa cir-  
 cumspectione ac silentio conclusis, di-  
 spositisque, Fergeffonius Præco in con-  
 juratorum confessu scriptam prælegit  
 declarationem, in qua ad concitandum  
 populum omnes Nationis querelæ ad-  
 versus Regem ejusque Fratrem asper-  
 rimis verbis exaggeratæ exponebantur:  
 Divina autem providentia factum, ut  
 fortuitus casus conjuratorum consilia  
 dissiparet, & meditatam Regis necem  
 præpediret; cum enim Nevarchæ in  
 Regis Palatio incendium exortum esset,  
 Rex inde indignationem concipiens tam  
 inopino regressu in urbem sese proripuit,  
 ut conjuratis tempus deesset, quo  
 meditata exequerentur: Hac occasione  
 e manibus effluente, conjurati novis  
 consiliis intenti Regem unacum Fratrem  
 suo e medio tollere decreverunt, sive  
 dum ad rusticandum denuo procederet,  
 vel alterius relaxationis gratia in soli-  
 taria navicula Tamesim obambulare, sive  
 dum ad publicum quoddam spectaculum  
 progredere: Nec diu expectata deerat  
 occasio; ad diem enim vigesimam  
 secundam Junii indicebatur annua  
 Taurorum pugna, cui Regis Aula  
 interesse consueverat: Attamen  
 quo minus ea die Rex conjuratorum



Sæc. XVII. A. C. 1683 victima caderet, die duodecima ejusdem Mensis Josias Kenling ejusque Frater conjurationis conficii Darthmutho & Jenkio totam parricidii meditati seriem suo chirographo signatam detexerunt. Ad tanti facinoris indignitatem oblituit Rex, qui habito cum suis consilio Joannem Rumseyum, Richardum Rumbaldum Prædicantem, Richardum Nelthorpium, Eduardum Wode, Richardum Godenowghum, Walcotum, Tompsonum, Burtonem, & Guillelmum Hone unacum aliis quadraginta Protestantibus carceri mancipari iussit; ex his Rumseyus Jenkium Regni Secretarium accessit, & coram eo omnia conjuratorum consilia manifestavit: Ad alteram hanc confessionem Rex Monmuthum Ducem, ac Grayum, Armstrongium & Fergeffonium Prædicantem die vigesima octava Junii comprehendi iussit, qui tamen omnes a Jenkio admoniti tempestantia fuga sibi consulerunt: paulopost Essexius Comes, Russellus & alii nonnulli ab Howardo d'Eserick detecti ad Londinensem Turrim capti abstrahabantur.

## §. XLVIII.

*Conjuratorum Supplicium.*

De



Detecta hac conjuratione ceteris prior Sæc. XVII.  
 Walcotus Tribunus de clandestinis consiliis a Rumseyo, Keelingio, Bourno, & Westio ex propriis literis A. C. 1683.  
 convictus, tanquam perduellionis reus Esprit d'Arnaud part. 2. pag. 326.  
 die vigesima tertia Julii capite damnatus est. Essexius autem Comes simplicii infamiam suicidio prævertit, dum Rapin Thoiras Hist. d'Angl. t. 10. pag. 525.  
 novacula sibi in carcere jugulum abscidit: die demum secunda Augusti Rumseyus & Hone Tyburni laqueo suffocati sunt, ex quibus posterior in loco supplicii palam professus est, se quidem ad occidendum Regem, ejus tamen fratri parcendum fuisse inductum: Russelius vero sequenti die in Lincolnienso foro capite truncatus est, qui falso jactata sua innocentia populum ad miserationem perduxisset, si ejus crimen minus dubium minusque atrox fuisset: Sidneyus pari etiam supplicio ut ceteri Salmon Hist. chron. d'Angl. pag. 399.  
 complices fuere mulctati, Monmuthus denique Dux Witehaliam venit, ac coram Rege palam confessus est, quod hujus conjurationis quidem complex fuisset, nunquam tamen in Regis necem consensisset: Enimvero clementissimus Rex huic parricidæ veniam dedit, cum autem hic idem paulopost novam conspirationem conflasse convinceretur, Aula & Regno expulsus est: Laurentius vero Brandonus & Hugo



Sæc. XVII. Hugo Speckius pecuniaria multa onerati sunt, eo quod Essexium Comitem in Turri a Regiis suffocatum fuisse, subornatis falsis testibus in vulgus sparsissent. Demum Londinensis Senatus ad diem decimam nonam Septembris in universo Regno festum indixit, ut Deo optimo Maximo pro feliciter detecta hac conjuratione debitæ rependerentur gratiæ, simulque Equestris statua Caroli I. Regis, quæ a Cronwelisticis olim everfa fuerat, rursus erigebatur.

## §. XLIX.

*Oxonienfis Universitatis decretum contra perniciosos libellos.*

*Thoiras l. c.  
pag. 528.*

**N**efando Regicidii consilio Protestantes Angli præluserant sparsis in vulgus libellis, in quibus Regis auctoritatem deprimere, suam rebellionem honestare, sibi que supremum imperii jus vindicare nitebantur: detecta autem nupera conjuratione, Universitas Oxoniensis ex perversis ejusmodi libellis ac doctrinis maxima mala oritura prospiciens, die vigesima prima Julii conventum habuit, in quo adversus noxios hosce libros, & damnanda dogmata sequens edidit decretum: „Nupera Regem, ejusque Fratrem Eboracensem Ducem trucidandi molimina  
„nos



„nos eo adegerunt, ut re maturius Sæc. XVII.  
 „pensata infame hoc scelus Deo & ho- A. C. 1683.  
 „minibus abominandum non sine animi  
 „horrore detestemur, & quamvis ita  
 „disponente Dei providentia in fossas  
 „sibi structas non inciderint, officii ta-  
 „men nostri partes exigere videntur,  
 „ut in præsentis temporum vicissitudine  
 „in impias doctrinas, nuperrime tam  
 „sedulo sparsas, a quibus scelerata hæc  
 „consilia ortum duxere, inquiramus,  
 „eas detegamus, ac publice nostro de-  
 „creto condemnemus, censurisque per-  
 „stringamus: Ut igitur fidei Catholicæ  
 „conservationi, necnon Regis securitati  
 „tam contra apertos ejusmodi sangui-  
 „nariorum hostium insultus, quam con-  
 „tra occultas hæreticorum & schisma-  
 „ticorum machinationes consulamus,  
 „Nos circa quasdam propositiones in  
 „variis libris tam Anglice quam latine  
 „scriptis contentas. sacris literis, Con-  
 „ciliorum Decretis, Patrum dictis, pri-  
 „mitivæ Ecclesiæ fidei, Regiæ pote-  
 „stati, Regiæ vitæ securitati, paci pu-  
 „blicæ, naturæ legibus, & Societatis  
 „humanæ vinculis contrarias, unani-  
 „mi consensu, sequentes propositiones  
 „condemnare decrevimus.,,

I. „Omnis civilis auctoritas origi-  
 „nem suam a populo repetit.,,

II. In-



Sæc. XVII. II. „Inter Regem & subditos tacitus  
A. C. 1683. „vel expressus datur contractus mu-  
 „tuus, sique Rex suo deest officio, e-  
 „tiam subditi a suo solvuntur. „

III. „Si Rectores in Tyrannos dege-  
 „nerant, aut aliter, quam juxta Di-  
 „vinas, humanasque leges deberent,  
 „regunt, Regnandi jure excidunt. „

IV. „Supremum in Anglia imperium  
 „est penes Regem, Proceres, & Ple-  
 „bem, æqualemque cum utraque Curia  
 „Rex habet auctoritatem, hæ autem  
 „possunt Regi contradicere, seque eidem  
 „opponere &c. „

V. „Nec ex nativitate, nec sangui-  
 „nis proximitate jus ad Regnum de-  
 „scendit, licitumque est, proximum  
 „hæredem a suo jure & successione ad  
 „Regnum excludere. „

VI. „Subditis sine supremi Magistrat-  
 „us consensu, imo eo etiam prohibente  
 „licitum est, foedera, societates, &  
 „pacta pro sui vel suæ Religionis defen-  
 „sione inire. „

VII. „Sui conservatio est lex funda-  
 „mentalís naturæ, & tollit omnium ce-  
 „terarum legum, si eidem sunt oppo-  
 „sitæ, obligationem. „

VIII. „Evangelii doctrina, qua in-  
 „urias patienter tolerare monemur,  
 „non prohibet, quominus Superiori-  
 „bus potentiis etiam armati resistere va-  
 „lea-



„leamus, si Religio impetitur. „

Sæc. XVII.

IX. „Christiani ad obedientiam pas-  
sivam non tenentur, si Princeps quic-  
quam patriis legibus contrarium præ-  
cipit, si vero primi Christiani mori,  
quam resistere maluerunt, id accidit,  
quia tum Religio Christiana nondum  
Imperii legibus stabilita fuit. „

A. C. 1683.

X. „Possessione & potentia aquiritur  
regnandi jus, atque ex causæ vel  
motus successu cognoscitur causæ æ-  
quitas & justitia. „

XI. In Statu naturæ non datur di-  
scrimen inter bonum & malum, æ-  
quum & iniquum, hic status est status  
belli, in quo quilibet jus habet in  
omnia. „

XII. „Civilis Authoritatis funda-  
mentum consistit in hoc jure naturali,  
quod supremo Magistratui non fuit do-  
natum, sed permissum, dum homi-  
nes societatem inierunt, & non modo  
exterus Usurpator, sed & Domesticus  
rebellis ad statum naturæ revertitur,  
& si contra eum quæstio habetur, non  
contra ipsum tanquam subditum, sed  
tanquam hostem agitur, proin in Prin-  
cipis vitam per suam rebellionem idem  
jus aquirit, quod Princeps ob crimina  
atrocissima in suos subditos habet. „

XIII. „Si Princeps ostendit, quod  
fidei juramento sibi a subditis præstito  
non



Sæc. XVII. „non confidat, hi suo juramento non  
 A. C. 1683. „obstringuntur, & legitime contra eum  
 „infurgere, ejusque supremam auctori-  
 „tatem evertere possunt. „

XIV. „Omnia juramenta sunt illegi-  
 „tima & Verbo Dei contraria, nec ob-  
 „ligant juxta sensum petentis, sed ea  
 „præstantis. „

XV. „Dominatio fundata est in gra-  
 „tia. „

XVI. „Hujus mundi Potestates nil  
 „nisi sunt quam usurpationes Præro-  
 „gativæ Christi, Dei populus tenetur  
 „eas destruere, & Christum suo folio  
 „reddere. „

XVII. „Presbyterianorum Regimen  
 „est Sceptum Regni Christi, cui se  
 „omnes Reges æque ac ceteri submit-  
 „tere tenentur. Suprema Angliæ Re-  
 „gum potestas in sacra est Christo soli  
 „Capiti & Ecclesiæ Regi contraria. „

XVIII. „Illicitus est in Divino officio  
 „quicquam præcipere, quod antea ne-  
 „cessarium non est. „

XIX. „Lex imbecilles fratres non  
 „scandalizandi non potest compati cum  
 „humana leges de rebus indifferenti-  
 „bus condendi auctoritate. „

XX. „Perversi & Tyranni Reges pe-  
 „rimendi sunt, & deficiente Magistratu  
 „hæc potestas in populum transit, & si  
 „populus recusat, Ecclesiæ Pastores  
 „tal-



„talem Regem possent excommuni-  
„care. „

Sæc. XVII.

A. C. 1683.

XXI. „Privatus, si se sentit interius  
„inspiratum, potest occidere Tyran-  
„num. „

XXII. „Exemplum Phinees est lex  
„pro nobis. „

XXIII. „Carolus I. legitime fuit tru-  
„cidatus, & ejus parricidæ fuerunt  
„gloriæ Divinæ instrumenta in cunctis  
„generationibus benedicta. „

XXIV. „Idem Rex bellum intulit suo  
„Parlamento, & in hoc casu non modo  
„Regi resistere licet, sed etiam Rex  
„esse cessat. „

Has pluresque ejusmodi propositio-  
nes Universitas damnavit, eoquod im-  
piæ essent, ad morum corruptelam,  
seditiones & tumultus, necnon Regno-  
rum eversionem, rebellionem, Princi-  
pum cædes, imo ad ipsum Atheismum  
tendentes: Prohibuit etiam singulis,  
ne ejusmodi libros legerent, sed potius  
juventuti debitam Magistratibus obe-  
dientiam inculcarent, & pro Regis in-  
columitate Deum exorarent, perversos  
autem hujusmodi libellos traderent pu-  
blice in Scholæ Aula comburendos.



Sæc. XVII.  
A. C. 1683.

§. L.

*Schismatici ad Ecclesie & Pontificis  
obsequium reversi.*

*Palat. vit.  
Pap. Innoc.  
pag. 15.  
Foresti t. 2.  
pag. 474.*

Sanctitatis fama, qua Innocentius XI. Papa inclaruit, ad Orientem usque propagata, hujus Regionis populi hucusque diro schismate segregati, sese rursus Ecclesie Romanæ unire decreverunt: Eapropter Volas seu Blasius Samaciensis ad Caspii maris oram Archiepiscopus & Macdrinus Samautriensis Episcopus ad Innocentium Papam suos Oratores unacum literis ablegabant, supplices, ut eis idoneos, doctosque Viros mitteret, qui Armenos filii subditos sub Turcarum jugo a fidei veritate & disciplinæ puritate devios de novo ad rectam semitam reducerent, eoquod hi populi ejurato schismate, & Armenorum erroribus veram & sinceram Ecclesie Apostolicæ Romanæ fidem profiteri anhellarent. Sub idem tempus Euthymius Tyri Archiepiscopus, & Ignatius Patriarcha Antiochenus, necnon Ignatius Chaldæorum Patriarcha per suos Legatos ad eundem Pontificem literas suæ conversionis testes transmisere, hujus tenoris: *Euthymius Archiepiscopus Tyri abjuratis Græcorum erroribus Sacrosanctam & Catholicam*



dem profitetur Romanam, promittens fide- Sæc. XVII.  
litatem, obsequium & obedientiam summo A. C. 1683.  
Pontifici Innocentio XI. ejusque Successori-  
bus canonice electis: sedem confitetur Apo-  
stolicam, Romanum Pontificem gaudere pri-  
matu in universo mundo, Successorem esse  
Beati Petri Principis Apostolorum, Christi  
Vicarium, Caput Ecclesiæ, Patrem, &  
Magistrum Christianorum, cui mediante Petro  
data est potestas regendi, pascendi, docendi  
Ecclesiam universalem, propterea rogat  
Pontificem, ut eum in sua confirmet Ec-  
clesia, & Apostolicam indulgeat benedictio-  
nem. Dat. 20. Decembr. 1683.

Ignatius Patriarcha Antiochenus die  
23. Aprilis Anno 1683. declarat, & pro-  
fitetur se subditum & obedientem cum sub-  
scriptione: Ignatius Patriarcha Antioche-  
nus veluti Pauper miserabilis.

Joseph Patriarcha Chaldæorum profi-  
tetur fidem Catholicam Romanam, obe-  
dientiam solvens Innocentio XI. cum sub-  
scriptione, Dei omnipotentis gratia pau-  
per Joseph Patriarcha Chaldæorum.

§. LI.

Plures Hæretici ad fidem Catholicam  
reversi.

Haud parum summi Pontificis læti- *Palat. l. 6.*  
tiam ex Orientalium accessione  
conceptam auxerat plurium ab errori-  
bus

Q 2

bus



Sæc. XVII. bus suis reverforum constantia; post-  
A. C. 1683. quam enim defuncto Carolo Electore Pa-  
 latino secta Lutherano Palatinatus ad  
 Philippum Guilielmum Neoburgensem  
 religione Catholicum devolutus erat, ejus  
 opera, ac Deo opitulante hæc ditio ad  
 veram fidem reversa usque in hanc  
 diem in eadem immota perseveravit.  
 Paulopost Amalia Sophia Christiani Au-  
 gusti Solisbacensis Principis Filia lau-  
 dabile Christiani Augusti Parentis sui  
 exemplum imitata primo Lutheri ve-  
 nenum evomuit, ac die decima nona  
 Martii hoc anno Colonix apud Carme-  
 litas Discalceatas in Cænobio S. The-  
 resix Deo sese totam solemnem votorum  
 nuncupatione dicavit, ibidemque Men-  
 se Decembri anno Christi millesimo  
 septingentesimo vigesimo primo septua-  
 genaria pie in Domino obiit. Pariter  
 hoc anno Brueysius Gallus ex Calvi-  
 nianis Prædicantibus haud infimus, ac  
 pro sua secta olim longe ferventissimus  
 desertis Calvini castris ad Ecclesix Ro-  
 manæ gremium regressus est, & Jacobi  
 Benigni Bossuetii Meldensis Episcopi  
 sententiam, quam anno priori perfer-  
 vide impugnaverat, pro aris & focis  
 admodum solide defendit.



Sæc. XVII.  
A. C. 1683.

## §. LII.

*Duacensis Universitas Cleri Gallicani  
articulis obfistens.*

Postquam Clerus Gallicanus, ut supra retulimus, suam declarationem circa Pontificis potestatem Regi exhibuerat, hic illius doctrinam illosque quatuor articulos in omnibus scholis & præcipue Universitatibus tradi, promulgato edicto præcepit: Obluctabatur tamen Duacensis Universitas, quæ datis ad Regem literis precabatur, quatenus eam ab hac lege conscientia suæ tantopere adversa eximere dignaretur: inter plures vero rationes, quas adduxerant Universitatis Doctores, hæc præprimis verba observanda videntur. „Haud capimus, inquiebant ipsi, quæ ratione, nisi Papam in suis decisionibus infallibilem credamus, deinceps resistere valeamus insultibus Jansenistarum, qui nobis identidem objiciunt, quod Jansenii doctrina non a Concilio Generali, sed duntaxat a Pontificibus, qui errare possunt, damnata fuerit: si ergo & nos docuerimus, Papam errare posse, nonne Jansenistæ nobis illico opponent, quod pariter Jansenii doctrina non nisi a Pontificibus sit damnata, quos ipsimet falli & „erra-

Q 3



**Sæc. XVII.** „errare posse, docemus, eosque neces-  
**A. C. 1683.** „saria opinionem quamdam pro hære-  
 „tica declarandi auctoritate destitutos  
 „tradimus, in his enim partibus exponen-  
 bant illi, non secus ac errores, semper ju-  
 runt *perstrictæ opinionēs illæ, quæ absolu-  
 tum summi Pontificis Primatum, ac infal-  
 libilitatem convellunt, quam tanta hucus-  
 que veneratione suspexerunt, ut schismaticis sese annumerandos credidissent, si de su-  
 prema instituti a Jesu Christo Vicarii au-  
 thoritate ad definiendum, quæ sana ac vera,  
 quæ falsa sit & mala doctrina, ullatenus  
 dubitassent.* Hac ratione offensus Ar-  
 naldus, adversus hanc Universitatem  
 acerbas admodum literas die trigesima  
 Martii hoc anno scripsit, præprimis  
 questus, quod hi Doctores falsa relatio-  
 ne & calumnia Regis mandatum e-  
 ludere conati, sancti Augustini Disci-  
 pulos, Jansenistas appellarint, cum ta-  
 men Rex id anno hujus sæculi sexage-  
 simo octavo post redditam pacem pro-  
 hibuerit. Dein demonstrare nititur,  
 quod Jansenistæ nunquam allata ab eis  
 ratione ad impugnandos Catholicos uli-  
 fuerint, aut uti potuerint; quia hæc  
 propositio; *Jansenii doctrina a binis Pon-  
 tificibus damnata fuit,* complectitur duos  
 sensus. I. Quod doctrina quinque pro-  
 positionum sit ab eis damnata. II. Quod  
 doctrina in his quinque propositionibus  
 dam-



damnata fuerit a Jansenio tradita, uti Sæc. XVII.  
 duo Pontifices deciderunt: circa pri- A. C. 1683.  
 mam autem propositionem omnes Jan-  
 senistæ se subjiciant, & nunquam op-  
 posuerint, hanc damnationem non a  
 Concilio Generali, sed duntaxat a Pon-  
 tificibus, qui errare possunt, fuisse fa-  
 ctam: circa alteram quoque proportio-  
 nem nunquam Jansenistæ dixerint, se  
 non obstringi ad illius decisionem, eo-  
 quod a Papis, non a Concilio facta fuis-  
 set, quia æque Concilia ac Papas circa  
 quæstiones facti errare posse, ex Baro-  
 nio, Bellarmino, Pallavicino, aliisque  
 comprobatum reddiderunt. Verum  
 Jurieus Calvinista in suo libro, cui ti-  
 tulus: *Arnaldi indoles*, Arnaldum con-  
 futans, ostendit, Pontificis infallibili-  
 tatem a Jansenistis passim fuisse im-  
 pugnatam.

§. LIII.

*Joannis Baptistæ Spada Cardinalis  
 obitus.*

Hunc annum vitæ suæ postremum ha-  
 buit Joannes Baptista Spada Patri-  
 cius Lucensis, qui ab Avunculo suo ad  
 omne pietatis, ac literarum studium  
 Romæ enutritus, vigesimo ætatis suæ  
 anno a Paulo V. Consistorii Advocatus,  
 a Gregorio XV. Cameræ Apostolicæ

Eggs Pur-  
 pur. doct.  
 l. 6. p. 425.  
 Old. in ad-  
 dit. ad  
 Ciacon.

Q 4

Mi-



Sæc. XVII Minister, ac demum ab Urbano VIII. A. C. 1683. utriusque, ut vocant, Signaturæ Referendarius, & sacræ Consultationis Auditor renuntiabatur. Erat quoque variis Congregationibus a secretis, quæ omnia munia cum tanta virtutis, doctrinæ, prudentiæ atque integritatis laude obibat, ut in Romæ Rectorem, Pro-Camerarium, Vaticanæ Basilicæ Canonicum, Patriarcham Constantinopolitanum, & Flaminiae Præsidem non tam Pontificis, quam propriæ virtutis suffragio eligeretur: Inde Romam reversus, assiduis studiis, maximisque Ecclesiæ negotiis vacabat, tandem vero ab Innocentio X. Romana Purpura decoratus, Ferrariensi Legationi per plurimos annos cum summo populi applausu ac proventu præfuit: Obiit denique Romæ die quinta Februarii annos natus septuaginta septem. Ex innumeris pene, quibus juris prudentiam illustraverat, sapientissimis responsis tria volumina legalium responsionum, præter discursus juridicos Romæ typis vulgavit.

## §. LIV.

*Alphonsus Litta Cardinalis hoc anno mortuus.*

Credi-



Creditur quoque hoc anno decessisse Sæc. XVII. A. C. 1683.  
 Alphonfus Litta patria Mediolanen-  
 sis, qui Philosophicis, Theologicis, ac  
 legalibus disciplinis apprime imbutus, Pallav. in suis liter. Guerin. in Paneg. Guald. Prio- rat. Hist. frag. Palat. fast. tom. 4.  
 ingenii dotes in Ecclesiæ obsequium,  
 utilitatemque dicare constituit: Variis  
 igitur Ecclesiæ muneribus ab Urbano  
 VIII. ornatus, singularis ubique indu-  
 striæ, fidei ac prudentiæ specimina e-  
 didit, inque laboris sui præmium du-  
 plicem Abbatiam ab eodem Pontifice  
 obtinuit: Postquam vero Asculani in  
 Piceno seditionem concitaverant, eo  
 missus Alphonfus præcipuis Authori-  
 bus in furcam actis, brevi rebelles hosce  
 tumultus compescuit, hancque Pro-  
 vinciam nullo amplius intercurrente  
 dissidio per integrum triennium mode-  
 ratus est: pluribus etiam Præfecturis  
 non sine magna nominis sui laude per-  
 functus, ab Innocentio X. Mediolanen-  
 sis Archiepiscopus, & ab Alexandro VII.  
 Cardinalis, licet absens, creatus est:  
 Romam vero repetens, ibidem variis  
 Patrum cætibus præfuit, seque omni-  
 bus exhibuit Patrem amantissimum,  
 ævi sui Antistitem nulli secundum, mo-  
 ribus, pietate, doctrina, prudentia &  
 vitæ sanctimonia longe clarissimum,  
 necnon immunitatis Ecclesiasticæ di-  
 gnitatisque suæ Propugnatorem acerri-  
 mum: Erat sane Theologus sublimis,  
 Q 5 Phi-



**Sæc. XVII.** Philosophus disertus, legum peritia in-  
A. C. 1683. signis, in literis non minus sacris, quam  
 profanis versatissimus, eloquentia ad-  
 mirabilis, virtutibus denique & vitæ  
 probitate conspicuus, & summi Ponti-  
 ficatus honore dignissimus, quem etiam  
 absdubio adeptus fuisset, nisi Hispanis  
 nimium favisset: Annum vitæ suæ a-  
 gebat septuagesimum quintum, dum  
 fatis cesserat.

§. LV.

*Cæsaris Facchineti Cardinalis ex-  
 trema.*

*Ciacon. in  
 vit. Urba-  
 ni VIII.  
 Palat. fast.  
 tom. 4.  
 Balanc. des  
 Card.*

Pariter hoc anno naturæ debitum sol-  
 vit Cæsar Facchinetus, qui ex il-  
 lustrissima gente Bononiæ ortus, ac In-  
 nocentii IX. Nepos in partia sua tam  
 uberem in literis fructum collegerat,  
 ut nondum vigesimum quartum ætatis  
 suæ annum egressus, jamjam laurea  
 donaretur: Postmodum Romam dela-  
 tus, in variis Patrum Congregationi-  
 bus partes suas egit, atque in Archi-  
 episcopum Damascenum electus, in Hi-  
 spaniam Legatus decernebatur, armo-  
 rum societatem contra Turcas conci-  
 liaturus: evoluta autem triennio Ro-  
 mam reversus, atque ab Urbano VIII.  
 Purpura honoratus, primo Senogal-  
 liensem, postea Spoletanam, Albien-  
 sem,



sem, Tusculanam, Pœnestrinam & Portuensem, ac demum S. Collegii Decanus Ostiensem Ecclesias rexerat: Sæc. XVII. A. C. 1683. Habuit plures Synodos, in quibus decreta edidit ad restaurandam Ecclesiæ disciplinam non minus apta, quam ad corruptelarum emendationem accommodata: Celebratur præcipue ob pietatis ac Religionis studium, eruditionis præstantiam, animi candorem, prudentiam, rerumque gerendarum dexteritatem, quibus virtutibus sese Hispanis Cardinalibus, imo toti Purpuratorum Collegio adeo commendatum reddidit, ut in comitiis, in quibus Innocentius XI. eligebatur, de eo in Papam subrogando a potissima ferme Cardinalium parte serio ageretur: Decessit Romæ anno ætatis suæ septuagesimo quinto.

§. LVI.

*Diversæ Innocentii XI. Pontificis Constitutiones.*

Præter Bullam, qua universale Jubilæum ad implorandum Dei auxilium pro felici Viennensis Urbis liberatione die undecima Augusti indicebatur, Innocentius XI. Papa plures alias edidit Constitutiones, & quidem die vigesima septima Septembris eodem fine omnibus Ecclesiasticis per Italiam &



Sæc. XVII. & Insulas adjacentes, exceptis Cardinalibus, Equitibus Jerosolymitanis, & aliisque Parochialibus Ecclesiis, quæ tenues habent proventus, tres decimas per quinquennium imposuit. Excepit autem Cardinales, quia aliunde maximas pecuniarum summas prævie in Turcicum bellum contulerant, & Melitenses semper contra Turcas bellum gerunt. Insuper Pontifex Congregationi Suevicæ Ord. S. Benedicti concessit omnia Privilegia sacra Congregationis Cassinensis, S. Justinæ de Padua &c. Præcepit quoque Pontifex die vigesima Novembris festum Nominis B. V. deinceps in memoriam victoriæ & Viennensis Urbis liberatæ deinceps ab omnibus celebrari Dominica infra Octavam Nativitatis B. V.

## §. LVII.

*Variae S. Congregationum decisiones.*

*Decis. S. Congreg. Rtt. Indic. & Concil.*

Inter varias Congregationum decisiones hoc anno emanatas die decima tertia Januarii declaratum legitur, quod si officium sancti Confessoris transferatur in diem proxime sequentem ab ejus obitu, & in primis Vesperis de eo fiat a Capitulo, tunc in Hymno: *Ille Confessor* tam in Matutino, quam utrisque vesperis dicatur Versus: *meruit beatus,*  
| die



die autem nona Februarii sacra Indicis Sæc. XVII.  
 Congregatio sequentes proscripsit libros, A. C. 1683.  
 quorum primus: *Tuta conscientia, seu*  
*Theologia Moralis, in qua quid possit fieri*  
*tuta conscientia &c. a Carolo Casalischio*  
*concinata II. Centum Historiarum examen*  
*seu decisiones Theologico - Morales Authore*  
*R. P. Cassiano a S. Elia.* Sacra vero Ri-  
 tuum Congregatio die vigesima Martii  
 decidit, quod officia concessa pro ali-  
 quibus locis, quibus assignata est dies  
 Dominica, si sint impedita festo altio-  
 ris ritus, non sint transferenda, sed  
 omittenda: Regulares autem teneantur  
 quidem celebrare sub ritu duplici primæ  
 classis Festum præcipui Patroni, sed ad  
 ejus octavam non teneantur: Defini-  
 tum quoque die vigesima quarta Julii,  
 quod Religiosi professio sub re gravi nu-  
 merari non possit, ita, ut cani valeret  
 Missa Votiva solemnis, & licet sit con-  
 suetudo tum canendi Missam de Spiritu  
 Sancto, id tamen sit abusus: illis vero  
 diebus, quibus Missa Conventualis non  
 habet onus certæ applicationis, Cano-  
 nicus, qui jure turni illam celebrat,  
 non possit pro applicatione eleemosy-  
 nam manualet accipere: Sacerdotes  
 tamen obligati ratione beneficii, Le-  
 gati aut stipendii celebrare quotidie  
 Missam per seipsos, possint ex rationa-  
 bili causa aliquando a celebratione va-  
 care,



Sæc. XVII. care, secus, si non habent onus cele-  
 brandi per seipsos: Occurrente autem  
 A. C. 1683. controversia apud Taurinenses Parochos  
 sacra Rituum Congregatio declaravit,  
 quod in processionibus, quibus inter-  
 venit Capitulum Cathedrale, præce-  
 dentia debeatur Beneficiatis ejusdem  
 supra Parochos: & ubi conceditur ri-  
 tus duplex, quin exprimat, major  
 vel minor, tunc concessio intelligatur  
 de duplici minori, etsi sit in honorem  
 B. V. declaratum insuper, quod Mo-  
 niales Ordinariis subjectæ non tenean-  
 tur recitare Officia particularia Diæce-  
 sium, teneantur tamen recitare de prin-  
 cipali Patrono loci, de Ecclesiæ Dedi-  
 catione & octavis.

## §. LVIII.

*Synodi Tornacensis decreta.*

*Concil. Ger-  
 man. t. 10.  
 pag. 109.*

Rursus Gilbertus Choiseulius Torna-  
 censis Episcopus die quarta Maij  
 Diæcesanam celebravit Synodum, in  
 qua prioris Synodi decretis denno re-  
 lectis statutum, ut Parochi inter se de  
 processionum ambitu & tempore con-  
 veniant, ne ex duarum concursu oria-  
 tur confusio: quoniam vero contra ter-  
 minos admissionum ad confessiones &  
 conciones, nonnulli suas admissiones  
 Decanis exhibere neglexerunt, hinc de-



declaravit Synodus, ejusmodi admif- Sæc. XVII.  
 siones ob talem defectum irritas esse. A. C. 1683.

## §. LIX.

*Principum atque Illustrium fata.*

Hic idem annus plurium Principum Godfrid.  
 vitæ exitialis fuit; præprimis e- Hist. Chron.  
 nim Maria Theresia Austriaca Philip- pag. 312.  
 pi IV. Hispaniæ Regis Filia, & Ludo-  
 vici XIV. Franciæ Regis Conjux die  
 trigesima Julii nonnisi quadraginta quin-  
 que annos nata decessit. Hæc in pie-  
 tatis, & vitæ christianæ exercitiis assidua  
 sese ad heroicam accingebat patientiam,  
 qua tenero quidem affectu Marito suo  
 juncta, illius cor sola possidere gestie-  
 bat, semper tamen sufferre cogebatur,  
 quod vix minimam illius partem  
 eidem corrivales fœminæ reliquam fa-  
 cerent: tandem vero semetipsa supe-  
 rior, quas summo odio insectari potuif-  
 set, benevolentia cumulabat, ac de-  
 mum Versaliis Parisios reversa die vi-  
 gesima Julii, decima post die vix non  
 repentina morte sublata est. Die au-  
 tem decima sexta Junii Hedwigis So-  
 phia Hassiæ Landgravia, postquam  
 sexdecim annos regnaverat, decessit,  
 quam pari fato undecima post die  
 sequebatur Elisabetha Henrica prima  
 Principis Electoralis Brandeburgici  
 uxor.



Sæc. XVII. uxor. Vivere etiam desit Anna Sophia  
 A. C. 1683. Quedlinburgensis Abbatissa Georgii II.  
 Hassiæ Landgravii Filia. Obiere pari-  
 ter Joannes Ernestus Saxo - Vinariensis  
 Dux, Princeps Schwarzenburgicus Sab-  
 audix Princeps Comitissæ Sueffionen-  
 sis Filius, & Dux Arembergicus, præ-  
 ter Albertum Ernestum Oetingensem  
 Principem. Die autem nona Julii mor-  
 tuus est Baro de Bassenheim Worma-  
 tiensis Episcopus, cui Jacobus de Fran-  
 ckenstein die nona Augusti subroga-  
 tus est: Decessit quoque Petrus Phi-  
 lippus a Dernbach Episcopus Bamber-  
 gensis & Herbipolensis, magnanimus  
 libertatis Ecclesiasticæ, suæque juris-  
 dictionis vindex, qui copiosum militem  
 tam in Cæsaris subsidium, quam pa-  
 triæ tutelam aluerat: Successit eidem  
 in Herbipolensi Sede Conradus a Wer-  
 nau, & in Bambergensi Marquardus  
 Sebastianus a Stauffenberg: postre-  
 mum quoque vitæ suæ diem egit Fer-  
 dinandus de Fürstenberg Episcopus Pa-  
 derbornensis, & Monasteriensis, qui Suc-  
 cessorem habuit L. B. de Metternich, in  
 Monasteriensi autem Ecclesia Maximili-  
 anum Henricum Coloniensem Archi-  
 episcopum, reclamante Papa, eoquod  
 contra Urbani VIII. Bullam duas occu-  
 passet Ecclesias, & aliunde ejus electio  
 non fuisset canonice facta. Denique  
 vivis



vivis excessit Alphonfus Henricus Lusitanæ Rex, qui ad regendum minus idoneus in Insula Sercera, uxore, patria & Regno procul, diu a Petro Fratre suo captivus, tandem in Lusitaniam, minime tamen ad coronam reductus est: Hunc paulopost morte subsequēbatur ejus quondam Conjux Maria Elifabetha.

Sæc. XVII.  
A. C. 1683.

§. LX.

Scriptorum Catholicorum opera & decessus.

Obiere pariter ex Scriptoribus Ecclesiasticis non pauci, inter quos celebriores sunt. I. Anselmus de Paris Canonicus Regularis ad S. Genovesam, qui edidit dissertationem, in qua tamen Ratramni librum Joanni Scoto Erigenæ falso attribuit, scripsit quoque duos tomos de fidei perpetuitate circa fidem Ecclesiæ Græcæ, opusculum contra dissertationes Claudii Prædicantis, præter alias dissertationes, quæ nondum typis excusæ in Bibliotheca S. Genovesæ Parisiis asservantur. II. Antonius Brandsach Franciscanus, scripsit varios tractatus Philosophicos æque ac Theologicos. III. Benedictus Bovius Ord. F. F. Præd. typis vulgavit tractatum de Indulgentiis unacum aliis plusquam

*Du Pin  
nouw. Bibl.  
des Auth.  
Eccles. t. 18.  
pag. 208.  
Bibl. Script.  
Carm.*

*Hist. Eccles. Tom. LXV.*

R quam



Sæc. XVII. quam quadraginta quinque opusculis  
A. C. 1683. partim Exegeticis, partim Philologicis.  
 IV. Hyacinthus Chalvet ex eodem Or-  
 dine publici juris fecit suum Theologum  
 Ecclesiasten in undecim tomos distin-  
 ctum, tractatum de Incarnatione pro  
 utroque suggestu, & undecim tomos  
 Theologiæ tropologicæ in utilitatem  
 Concionatorum. V. Petrus a Matre  
 Dei Carmelita Excalceatus scripsit mo-  
 dum convertendi hæreticos, explica-  
 tionem Symboli, duos tractatus de  
 cognitione amoris Christi & B. V. vir-  
 tutes Regias, quæ decent Principem,  
 demonstrationem claram articulorum  
 Religionis Catholicæ, Catechismum,  
 rationes validas ad fovendos Catholi-  
 cos in fide præter alia nonnulla. VI.  
 Franciscus Mezeray posteris reliquit  
 Historiam ante Clodovæum, Synopsis  
 chronologicam Historiæ Franciæ, &  
 Historiam Franciæ a Pharamundo us-  
 que ad pacem Verbinensem.

## §. LXI.

*Scriptores A catholici hoc anno  
defuncti.*

*Witte Diar.* Non desunt ex Scriptoribus acatho-  
 licis, qui variis libris posteritati  
 relictis hoc anno decesserunt, hos in-  
 ter primus occurrit Benjamin Gerlach,  
 qui



qui prælo subjecit Meditationes de ci- Sæc. XVII.  
 nere, declinationem Christianismi, ex- A. C. 1683.  
 plicationem Evangeliorum & tractatum  
 de sacra Cæna. II. Joannes Adamus  
 Schertzer edidit Collegium Anti-Soci-  
 nianum, systema Theologicum, Anti-  
 Bellarminum, Breviculum Theologi-  
 cum, Bibliothecam Pontificiam, di-  
 sputationes Anti-Calvinianas, & alia  
 nonnulla. III. Samuel Pomarius, qui  
 ex Mercatore Pastor effectus, scripsit  
 commentarium in Epistolam Judæ, &  
 quamvis omnem cum Zwinglianis &  
 Calvinistis unionem ac syncretismum  
 detestaretur, eos tamen in fundamen-  
 talibus articulis cum Lutheranis con-  
 spirare tradidit, vulgavitque disserta-  
 tionem de moderatione Theologica præ-  
 ter alia. IV. Balthasar Raith scripsit  
 vindicias versionis Bibliorum Lutheri,  
 epitomen Bibliorum, Pandectas dicto-  
 rum Mahumedanorum, tractatum de  
 probatione Spirituum, de primo falso  
 præcipuarum religionum nostri ævi, de  
 potestate Magistratus Politici circa Ec-  
 clesiam, de Indicibus Pontificiorum  
 expurgatoriis, de Symbolo Judaico,  
 Profelytismo, fundamento Cabalæ,  
 Masora, Talmuda Judaico, & de con-  
 fusione linguarum Babylonica. Exstat  
 quoque ejus Horologium Hebræum  
 Schickardi, & Hagiolatria Pontificia.

R 2

V. Gui-



Sæc. XVII. V. Guilielmus Howell elucubravit Elementa Historica ab Orbe condito usque ad Monarchiam Constantini M. & Medullam Historiæ Anglicanæ. VI. Joannes Nicolaus Mislerus posteris reliquit Scrutinium S. Scripturæ, Speculum Anti-Jesuiticum, disputationes de Deo uno & trino & incarnato Verbo, & controversis articulis, Synopsis Theologicam Religionis Christianæ, Orthodoxiam ex concordiæ formula, disputationes de mysteriis fidei præter additamenta ad casus conscientiæ Balduini

## §. LXII.

*Novus belli apparatus contra Turcas.*

*Wagner  
Hist. Leop.  
t. c.  
Theatr. Europ. t. 12.*

Fracta ad Viennæ muros Ottomanæ Imperatoris ferocia, anno hujus sæculi octogesimo quarto ex ipsa sua ruina ad novas spes viresque erigi videbatur; quippe præter ingentem tormentorum apparatus, indictasque pecuniarum exactiones Ibrahimus Oovus Vezirius exiguo temporis spatio octoginta millium exercitum in Hungaria contraxit, selegitque Turcarum quinquaginta millia in Polonia, viginti in Peloponeso, & totidem contra Valachos terra marique militaturos. Leopoldi autem Cæsaris exercitus, et si victor, pluri-



plurimum tamen numero debilitatus erat; namque præliis etiam secundis copiae atterebantur, ac insuper ex fœderatis nonnulli, vel æmulationis, vel Gallicæ factionis velut flabello impulsæ neglecta gloriæ ac spoliis spe castra deserere decreverant: Prima ergo Leopoldi cura erat, nova conquirere fœdera: Jam anno priori Innocentius Papa necnon Cæsaris Legatus gravissimis monitis Venetos incitabant; incassum tamen: mortuo autem Aloisio Constarino Reipublicæ Duce Marcus Antonius Justinianus ejusdem Successor, cum vastum victoriæ campum post accisas Turcarum vires sibi aperiri cerne-  
ret, die prima Martii misso Lincium Legato fœdus cum Cæsare iniit, ea lege, ut se invicem mutuis viribus ac consiliis juvarent, nec bello ante ab-  
sisterent, quam Hungariam Cæsar, Poloni Caminicum, & Peloponesum Veneti recuperassent: Maximilianus quoque Baviaræ Elector ad novam hujus anni expeditionem impigre sese accinxerat, atque ex Ecclesiasticorum bonis, Abbatibus & monasteriis, annuente summo Pontifice collectas pecunias ad reparandas exercitus sui vires impendens, selectos milites Mense Junio, bellicue tormenta ad initium Mensis Augusti in Hungariam præmiserat, ipsemet die

Sæc. XVII.  
A. C. 1684.



Sæc. XVII. vigesima prima ejusdem Mensis eo pro-  
A. C. 1684. fectus: Pollicebatur quoque Saxonice

Elector quinquies mille ducentos octoginta armatos, ea tamen lege, ut Hungaris Protestantibus sectæ libertas indulgeretur: Horum promissis erectus Imperator, die decima quarta Aprilis Lincii cum Lotharingio, Maximiliano Emanuele Bavaro, aliisque præcipuis Belliducibus de futuræ expeditionis ratione consultavit, decrevitque, ut magna annonæ, bellici instrumenti ac machinarum vi primo vere Danubio de-  
vecta, Lotharingius cum Maximiliano Budam oppugnaret, Leslæus cum duodecim suorum millibus Slavonice, aliæ legiones Rheni fines tuerentur, & Schultius cum octo millibus rebelles armis opprimeret, si clementia ad fidem obsequiumque retrahi haud possent.

## §. LXIII.

*Actum cum perduellibus Hungaris.*

*Han Panon.* **M**agis expeditam hostis debellandi  
*nov. p. 624.* viam sterni, existimabant Cæsarei, si sedatis rebellium Hungarorum turbis Leopoldus totum exercitus sui robur, molemque in solos Turcas effundere posset, quin copias suas aliorum distrahere cogeretur: Eapropter Imperator die duodecima Januarii seditiosis  
Pro-



Protestantibus præteritorum oblivio- Sæc. XVII.  
 nem, omnium bonorum restitutionem, A. C. 1684.  
 ipsiusque Religionis suæ exercitium an-  
 no hujus sæculi quinquagesimo quinto  
 indultum per Lotharingiæ Ducem &  
 Baronem de Abele pollicebatur, ea ta-  
 men lege, ut ad Pofoniensem Conven-  
 tum delati atque in Cæsaris obsequium  
 reversi arma in Turcas converterent:  
 Enimvero non pauci abdicatis rebellan-  
 tium partibus ad fidelitatem erga Re-  
 gem suum rediere; potissimi tamen in  
 sua malitia obdurati ipsa sua secta po-  
 tiores habuere Turcicæ dominationis  
 spem: Töckelius quoque, etsi præter  
 Turcarum & Tartarorum colluviem fere  
 neminem ad latus haberet, nihilomi-  
 nus recuperata Sultani gratia, Bassa-  
 rumque suppetiis ferox, Hungaros Cæ-  
 sari adhuc fidos vel in rebellione nutan-  
 tes minacibus literis, adhibitisque e-  
 tiam suppliciis ad sua signa cogere ni-  
 tebatur, indictisque Eperiesium comi-  
 tiis amplissimas libertatis, victoriæ,  
 spoliique spes suis faciebat: cum autem  
 Cæsarem ad pacem oppido propensum  
 cerneret, ut proximæ concordiæ fidu-  
 cia sopitum a maturanda belli expedi-  
 tione aliquantulum distineret, Legatos  
 veniam exoratuos Lincium ablegabat,  
 suos quoque Oratores, qui pacem cum  
 Turcis offerrent, Abasius Transylvaniæ

R 4

Prin-



Sæc. XVII. Princeps eo decernebat; verum tam  
 A. C. 1684. hi quam illi, velut exploratores facere  
 fere jussi sunt.

## §. LXIV.

*Vicennales induciæ inter Cæsarem &  
 Hispanos cum Franciæ Rege  
 sancitæ.*

*Priet. An-  
 nal. contin.  
 pag. 967.  
 Hode vie de  
 Louis XIV.  
 pag. 267.*

**H**aud parum optatis armorum pro-  
 gressibus officere credebatur bellum  
 recens inter Hispaniæ, & Franciæ Re-  
 ges exortum; præterquam enim quod  
 Galli suppeditatis pecuniarum subsidis,  
 aliisque artibus rebelles Hungaros in  
 sua pervicacia fulcirent, insuper Ludo-  
 vicus Rex primo vere in Belgium irru-  
 pit, cunctaque Bruxellas usque ferro  
 flammaque devastavit: inde exeunte  
 Mense Aprili cum quadraginta suorum  
 millibus Condatum progressus, hanc ur-  
 bem post viginti sex dierum oppugna-  
 tionem die sexta Junii in deditioem  
 redegit, ac ultimo demum impulsu Hi-  
 spanos ab omni melioris fortunæ spe  
 dejecit; quamvis enim Galli diverso  
 exercitu Gerundam Cataloniæ urbem  
 obsidentes, non sine magna suorum  
 clade abscedere coacti essent, nihilo-  
 minus Hispani a Batavis derelicti, va-  
 lidique auxilii a Cæsare obtinendi fidu-  
 cia frustrati, ad pacis consilia animum  
 ad.



adjecerunt: Hanc in rem foederatorum Sæc. XVII.  
 Principum Oratores Hagæ Comitum A. C. 1684.  
 non minus vanas, quam acres habe-  
 bant consultationes, quin de pacis ar-  
 ticulis cum Galliarum Rege ineundis  
 convenire possent, Anglis, Batavisque  
 in proposito defendendi Imperii ac Bel-  
 gii obstinatis. Tandem vero Leopoldus  
 Imperator per suum Legatum Eich-  
 stadiensem Episcopum necnon Hispaniæ  
 Rex Carolus Ratisbonæ cum Franciæ  
 Oratoribus die decima quinta Augusti  
 in vicennale armistitium sub inducia-  
 rum nomine consenserunt, ea lege, ut  
 Franciæ Rex Cortracum, Dixmundam  
 aliasque urbes hoc bello occupatas Hi-  
 spanis redderet, ipse vero Argentora-  
 tum in Germania, Luxemburgum vero,  
 Belmontium, Bovinas, & Chimaium  
 in Belgio retineret, cunctisque vindi-  
 catarum urbium incolis tam Catholi-  
 cis, quam Lutheranis vel Calvinistis  
*liberum Religionis exercitium relinqueret,*  
*liberrimamque concederet fruitionem atque*  
*dispositionem omnium bonorum, decimarum,*  
*redituumque omnis generis, tam eorum,*  
*quæ ad sustentandos Ecclesiarum Rectores,*  
*Præceptores, ac Administratores, quam*  
*quæ ad ipsa eorum templa, scholas, ædes-*  
*que pertinent, cunctorumque aliorum, quo-*  
*cunque nomine veniant, nullis exceptis.*



Sæc. XVII. Quoniam vero Hispaniæ Rex hæc  
 A. C. 1684. ~~paçta rata habere cunctaretur~~, Galli  
 occasione inde arrepta a Belgis aliunde  
 jam exhaustis septingenta aureorum  
 coronatorum millia extorsere, quæ ta-  
 men Rex rogantibus Anglis remisit,  
 rursus vero illis quater centies mille  
 librarum exactionem imposuit, atque  
 in turbido piscandum ratus, sese pri-  
 vatis Coloniensium ac Leodiensium tu-  
 multibus ingessit; cum enim Leodien-  
 ses destructa a Gallis arce alienum im-  
 perium excutere aggredierentur, Maxi-  
 milianus Henricus Coloniensis Elector,  
 qui pariter Leodii erat Episcopus, cum  
 Gallis foedus iniit, ac cum decem ar-  
 matorum millibus urbem invasit, eam-  
 que ad deditionem facili negotio adegit,  
 eisque præcipuam privilegiorum par-  
 tem ademit: nec his contentus, qui-  
 busdam Senatoribus civibusque vel ca-  
 pite, vel carcere multatis, arcem in-  
 colarum sumptibus denuo extruxit,  
 validoque imposito præsidio, quatuor  
 thalerorum millia quotidie solvenda im-  
 peravit: Insuper Galli armorum suc-  
 cessu tumidi, Trevirenses Electorem  
 durius habebant; insuperhabita enim  
 Anglorum, Coloniensium & Brande-  
 burgicorum deprecatione, ut neutrius  
 partis studio addictus vivere posset, haud  
 alia lege impetrare poterat, nisi ad  
 Cre-



Crequi Marescalli mandatum Trevisæ. XVII. A. C. 1684.  
 rensem urbem omnibus suis nudaret propugnaculis: quo autem jure Princeps nullius imperio subjectus, ne Metropolin suam muniret, prohiberi possit, nostrum non est decidere. Enimvero Papæ Nuntius apud Regem de Galli militis tyrannide in Belgio que- rebatur, simulque Pontificis dolorem explicabat, eoquod sub primogeniti Ecclesiæ Filii patrocínio publice ejusmodi traderentur doctrinæ, quæ auctoritati Sedis Apostolicæ tam aperte adversarentur, & si eam non evertant, saltem manifesto exponant contemptui. Verum Rex mala, quibus Belgium premeretur, in ipsos Hispanos conjiciebat, Cleri autem Gallicani doctrinas Majorum suorum institutis consonas esse reponebat.

## §. LXV.

*Buda incassum a Cæsareis tentata.*

Pacto cum Gallis armistitio Leopoldus Wagner l. 9.  
 Imperator bellum adversus Turcas Theatr. Europ. t. 13.  
 majore conatu urgere constituit, collectisque ad Nitriam amnem copiis Neosolium arctius cinxit, necnon cum valido agmine Ludovicum Neoburgi Ducem Vicegradum versus præmisit. Hic omnibus simul partibus irrumpens,  
 cæsis



Sæc. XVII. cæsis præfidiariis urbem & arcem die  
A. C. 1684. decima septima Junii expugnavit. Re-  
 liquerat Imperator ad Strigonium im-  
 pedimenta, pluresque legiones, quo  
 explorato Budensis Bassa in Cæsareos  
 inopino impetu irruit, eosque trucidatis  
 permultis in fugam egit: tempestive  
 autem Rabbata Comes cum sua legione  
 in hostem primo hoc successu ovantem  
 effusus, ereptis multis vexillis æquam  
 fere in fugitivos Turcas cladem reddi-  
 dit, certamque victoriam retulit: Se-  
 cundo etiam prælio Mercius & Heisle-  
 rus prope Vaciam tria ferme Janissaro-  
 rum millia trucidarunt, atque inter eos  
 Temesvarini ac Mesopotamiæ Bassas:  
 Lotharingius quoque die vigesima se-  
 ptima ejusdem Mensis Vaciam urbem  
 sibi subjecit, captis mille quingentis  
 Janissaris: Iterata hac hostium clade  
 planior ad Budensem obsidionem via  
 sternebatur: Lotharingius igitur tra-  
 jecto Danubio aciem explicare parat,  
 ast nondum copiæ omnes transmisse-  
 rant, cum jamjam Turcæ in duo con-  
 ferta agmina divisi dexteram alam pe-  
 rumpere tentarent, horrendo tamen  
 globorum grandine excepti retrocedere  
 consultius haberent: Dies erat decima  
 quinta Julii, qua e duobus suggestibus  
 Budam a peditatu oppugnari cæptum  
 est, & Lotharingius cum suo Equitatu  
 Tur-



Turcas ad prælium incitavit, tandem-  
 que post anceps prælium in turpem fu-  
 gam conjecit. Cecidere duo Janiffa-  
 rorum millia, ac præter vexillum a  
 Sultano recens transmissum, octo belli  
 tormenta, & magna spoliis copia vi-  
 ctoribus cessere: nec tamen omnino no-  
 stris incruenta erat hæc victoria; cæ-  
 sis Christianorum plusquam centum ac  
 quadraginta: Submoto igitur hoste ob-  
 sidionales fossæ aggeresque aperiuntur;  
 peropportune Bavariæ Elector exeunte  
 Mense Septembri cum recente milite  
 advolat, urgetur oppugnatio totis vi-  
 ribus, crebris etiam cuniculis res agi-  
 tur, nec unquam a verberatione cessa-  
 tur; parum tamen, quod vel remotam  
 expugnationis spem faceret, profectum:  
 insuper Lotharingius febris correptus,  
 miles invalescentibus morbis, crebris-  
 que hostium eruptionibus, plerumque  
 Bavaro militi infaustis attritus, & mul-  
 tarum opera hebdomadarum solo æ-  
 quata, crebraque fortium imprimis Vi-  
 rorum strages die prima Novembris ob-  
 sidionem solvere compulit. Ergo im-  
 pedimentis, bellique tormentis adverso  
 flumine Vicegradum subvectis exerci-  
 tus primum Budam veterem, postea  
 Strigonium die tertia decima Novem-  
 bris reductus est, postquam amissa rur-  
 sus Vaccia urbe, viginti tria arma-  
 torum

Sæc. XVII.  
 A. C. 1684.



Sæc. XVII. torum millia, bellicque Præfecti sexcenti  
 A. C. 1684. tres & sexaginta, ac centum quadra-  
 ginta septem nobilissimi voluntariæ mi-  
 litiaë Tyrones desiderati fuere. Inte-  
 rim vero Croatæ Rahnitzium prope Jau-  
 rinum, & Leslæus Verovitziam, ac  
 ignobiliora Sclavoniaë oppida numero  
 ducenta die vigesima quarta Julii Tur-  
 cis eripere.

## §. LXVI.

*Töckelius a Cæsareis fusus, fuga-  
 tusque.*

Magis prospero successu Schulzius ad-  
 versus rebelles Hungaros in Croa-  
 tia pugnabat; Töckelius quidem longe  
 lateque populabundus varia oppida in-  
 terceperat, ac paulopost Unguarii ob-  
 fidionem aggressus, arcem suis armis  
 subjecerat, quo successu ferox præsi-  
 diarios omnes palis per viscera immer-  
 sis enecari iussit, omnemque circum  
 regionem, incolasque cæde flammisque  
 absumpsit: postquam vero Leutsoviam  
 quoque & Scepusium subigere parave-  
 rat, Schulzius Cæsarei exercitus Ductor  
 illum non sine clade Eperiesium usque  
 repulit, captisque aliquot arcibus ob-  
 vios quosque rebelles armatos suppli-  
 cio affecit: ut vero incautos falleret,  
 Bartfeldam urbem obsidere simulat,  
 &



& mutato itinere Töckelium prope Epe-  
 riefium castra metantem die decima  
 sexta Septembris noctu inopino impetu  
 obruit, cæsisque suorum potissimis se-  
 minudum in propudiosam fugam egit,  
 simulque castris atque impedimentis  
 exiit: Paulopost idem Bellidux Bart-  
 feldam, Machovitium aliaque oppida  
 cum ingenti annonæ copia rebellibus  
 abstulit, necnon die decima sexta De-  
 cembris Töckelium, qui suis e fuga re-  
 tractis, necnon aliquot barbarorum tur-  
 mis auctus, nova moliebatur, non  
 longe a Leutschio oppido rursus inter-  
 cepit, & profligato ejus exercitu illum  
 Agriam usque repulit. Pari etiam fe-  
 licitate Franciscus Morosinus genero-  
 sissimus Venetorum Bellidux ad Leu-  
 cadis Insulæ, vulgo a S. Mauro dictæ  
 oram die sexta Augusti arcem Jonico  
 infestam cepit, direptisque aliquot op-  
 pidis Nacopolin die vigesima nona Se-  
 ptembris ad deditionem compulit, ab-  
 stractoque ingenti munitionum appa-  
 ratu, cum classe sua Ægei maris insu-  
 las infestavit, easque abductis pluri-  
 mis captivis, gravibus etiam tributis  
 ac deprædationibus exhaustit.

Sæc. XVII.  
 A. C. 1684.

§. LXVII.



Sæc. XVII.  
A. C. 1684.

§. LXVII.

*Genuenses a Gallis male habiti.*

Quincy t. 2.  
pag. 89.  
Mem. Hist.  
& Chron.  
Mercur.  
Holl. p. 486.  
& seqq.

Postquam Galli Gerundæ obsidionem solverant, Ludovici XIV. Franciæ Regis jussu Genuam urbem totius Italiæ florentissimam cum valida classe infestarunt: Hostilis ejusmodi expeditionis causa obtendebatur clandestinum cum Hispanis consilium, vi cujus Gallicas naves in Tolloniensi & Massiliensi portu incendere, suas triremes Hispanis jungere, moliti essent, insuper salis Gallici Mantuam transvehendi libertatem interceptisse, ac Hispaniæ Regem, neglecto Gallo, in Reipublicæ Protectorem acceptasse accusabantur: die igitur decima septima Maij Seignelaius Marchio, classis Gallicæ Archithalassus Genuensibus denunciabat, quod justam Regis indignationem declinare haud possent, nisi quatuor naves suas recens instructas Gallis cederent, sexcenta librarum millia in damni compensationem numerarent, ac unacum eorum Duce præcipuos ex Senatoribus Parisios decernerent, veniam a Rege exoratuos: Cum autem Genuenses tam duras condiciones acceptare recusarent, mox Galli classem urbi admove-re, ac ejaculatis quinque millibus

glo-



globis majoribus Tempia, Monasteria, Sæc. XVII.  
 quingentas ferme domus, Ducis, alio- A. C. 1684.  
 rumque Palatia, armamentarium, Mer-  
 catorum porticus, aliasque ædes pu-  
 blicas dejecerunt: Nec his contentus  
 Archithalassus obsessis significari jussit,  
 universam urbem in cineres redactum  
 iri, nisi quantocius præscriptas recon-  
 ciliationis leges adimpleverint: Ge-  
 nuenses vero, aut Hispani auxilii fidu-  
 cia sopiti, aut causæ æquitati nimium  
 confisi ex omnibus suis machinis pyro-  
 bolicis ingentem globorum tempestatem  
 detonant, belloque Gallis denuntiato  
 Franciæ Consulem carceri mancipant,  
 ac interdicta mercium negotiatione Gal-  
 lorum bona fisco addicunt, demum va-  
 lidiore Hispanorum classe in Urbis opem  
 adventante Gallos retrocedere compel-  
 lunt: Hi vero paulopost reversi, aucto  
 furore, injectisque septem millibus tre-  
 centis missilibus sphæris urbem ferme  
 integram devastarunt. Infaustam Ge-  
 nuensium sortem deplorabant omnes,  
 nemo autem eis opem ferre audebat:  
 solus Pontifex per Ranuzzium Fanen-  
 sem Episcopum, Sedisque Apostolicæ  
 Nuntium suas partes interponebat, æ-  
 gre a Galliarum Rege obtinens, ut Ge-  
 nuenses pacem asperis hisce legibus re-  
 dimere permitterentur. I. Dux una-  
 cum quatuor Senatoribus proximo  
 Hist. Eccles. Tom. LXV. S Men-



Sæc. XVII. Mense Martio perdemisse offensas coram  
A. C. 1684. Rege deprecaretur. II. Intra unius  
 Mensis spatium dimissis omnibus Hispani-  
 nis copiis fœderi renuntiaret, cunctas-  
 que triremes ante biennium constructas  
 armis exueret. III. Omne damnum  
 Gallis illatum compensaret, everfas  
 que Ecclesias, aliaque loca sacra sum-  
 ptibus, prout summus Pontifex judice-  
 verit, repararet, & Flischorum Comiti-  
 centies mille aureos numeraret: Quan-  
 tumcunque acerbæ essent hæc conditio-  
 nes, nihilominus temporum necessitati  
 parendum erat, hujusque Reipublice  
 Dux die quinta Maij cum quatuor Se-  
 natoribus habita alloqui copia coram  
 Rege supplex veniam precari cogeba-  
 tur: Hac de re Parisiis spargebatur mo-  
 neta, cui insculpta legebantur hæc  
 verba: *Genua obsequens, Dux Legatus  
 & Deprecator.*

## §. LXVIII.

*Varia edicta contra Hugonotas rebel-  
 les in Gallis.*

Severitas, qua periculosa Hugonota-  
 rum rebellio in Galliis plectebatur,  
 nondum firmæ tranquillitatis spem Regi  
 Regnoque pollicebatur; non deerant  
 enim ex ipsis, qui adulterino Religionis  
 Zelo abrepti clandestina inter se confi-  
 lia



lia cuderent, varia succifas vires re-  
 parandi media excogitarent, imo &  
 exterorum Principum foedera quære-  
 rent: Eapropter Franciæ Rex adversus  
 eorum machinationes variis edictis sese  
 munire cogebatur, ac præprimis die  
 decima Januarii hoc anno præcipiebat,  
 ut illi, qui Regii Secretarii munere fun-  
 gerentur, privilegiis huic officio anne-  
 xis privati essent: cum autem Hugo-  
 notæ in Galliis varia haberent loca, ad  
 quæ suos infirmos deportabant, ne Ca-  
 tholicæ Religionis præcepta hauriendi  
 occasionem haberent, hinc die decima  
 quarta Septembris sub quingentarum  
 librarum mulcta privatis, & sub inter-  
 dicendi Religionis exercitii pœna Præ-  
 dicantibus inhiberetur, ne sub charita-  
 tis obtentu suos infirmos ad ejusmodi  
 loca transferrent, sed cunctos ad publica  
 Nosocomia deduci curarent: Insuper  
 Mense Augusto Rex circa iudicii for-  
 mam apud ipsos inventam varia immu-  
 tari voluit, vetuitque, ne Prædicantes  
 sæpius, quam semel intra quindecim  
 dies, & quidem non nisi præfente  
 Regio Iudice sua, ut vocant, consistoria  
 haberent, nec deinceps Præco diu-  
 tius triennio in eodem loco suum mu-  
 nus obiret, quo defunctus ad alium vi-  
 ginti leucis distitum transferretur, non  
 nisi evolutis duodecim annis ad prio-  
 rem

Sæc. XVII.  
 A. C. 1684.



Sæc. XVII. rem locum reversurus. Die quarta  
A. C. 1684. Septembris Nobilibus inhibitu, ne in  
 suis terris sectæ functiones a Prædicantibus exerceri permetterent: Prohibebantur vero Prædicantes alio edito die undecima Decembris promulgato, ne pro Templorum reparatione, Prædicantium, ac Ludimagistrorum sustentatione novas collectiones, nisi prius Regiis decretis satisfecissent, ultra facere auderent, quasnam vero viginti abhinc annis fecissent, exhiberent. Quoniam vero Regi nuntiatum esset, tantam esse Cebennensium præcipue Hugonotarum pervicaciam, ut potius suos infantes sine Baptismo decedere, permiffuri essent, quam ut illos sacro fonte expiandos, Sacerdoti Catholico offerrent, imo & periculum esset, ne Matres suos infantes occultarent, aut integræ familiæ Regno excederent, hinc die duodecima Octobris eis permiffum, ut proles suas Prædicantibus in privatorum ædibus post viginti quatuor a Nativitate horas præfente Iudice tingendas offerrent, quin tamen Præco præter Sacramenti & Liturgiæ verba orationem vel preces adhiberet.



Sæc. XVII.  
A. C. 1684.

## §. LXIX.

*Salisburgenses rustici ob Lutheranam  
sectam e ditione pulsi.*

Enimvero hæresis velut cancer serpere solet, & ubicunque vel minima ejus labes superest, pestifera illius contagio latius sese propagat, & sensim etiam sinceræ Christianæ Reipublicæ partes, præcipue vero rudes, simplices, & stolidos homines inficit, nec unquam Provinciæ semel hac contagione pollutæ penitus a noxiis erroribus expurgari possunt: Quamprimum Lutherus a vera Religione deficiens, novum hæresis multiformis monstrum produxerat, jamjam ejus venenum in Salisburgensis Principatus populos fufe diffundi cæperat: eo enim tempore Paulus Speratus seu Beatus hac lue infectus, Salisburgum venit, novæque doctrinæ virus in Ecclesia Cathedrali evomuit: detecta autem errorum pravitate non sine infamia inde expulsus est: Paulopost Stephanus Agricola, qui Archiepiscopo a Confessionibus erat, hac peste populum contaminare adlaborabat, brevi tamen in carceres detrusus sacrilegi sui ausus pœnas dedit, paremque mercedem ejusdem socius Wolfgangus Russus tulisset, nisi tempestiva

S 3

fuga



Sæc. XVII. fuga sibi consulisset: Reliquerant ta-  
 A. C. 1684. men hæ viperæ infausta errorum geni-  
 mina, sensimque lue ad ipsos montes  
 & alpes propagata rustici palam con-  
 scientiæ libertatem, velut psitacci a suis  
 Magistris proclamare edocti, veterem  
 religionem nausare cæperunt(\*): his  
 in

(\*) Haud dissimulanda est Pauli Jacobi  
 Eckardti Prædicantis Lutherani protervia,  
 aut inscitia, qua in *suo beato triumpho* p. 234.  
 sudacter de Joanne Staupizio memorat, quod  
 „hic utpote celeberrimus Evangelicæ veritatis  
 „cultor Salisburgum venerit, & Cardinalis  
 „Archiepiscopo Matthæo Langio a Concioni-  
 „bus, & Anno Christi 1521. ad S. Petri Ab-  
 „bas, a Lutero ad constantiam. & immo-  
 „tam Evangelicæ veritatis professionem serio  
 „admonitus fuerit, ac ipsemet plurima Lu-  
 „theri scripta secum in Monasterium trans-  
 „portavit, proin *absdubio* suos Confratres  
 „clam in nova doctrina instituerit, ac nequi-  
 „dem a Papa & Archiepiscopo iustus, Lutheri  
 „dogmata pro hæreticis declarare voluerit,  
 „quamvis novam hanc doctrinam palam pro-  
 „fessus non sit, sed usque ad vitæ finem Ro-  
 „manæ Ecclesiæ addictus permanerit: infu-  
 „per ejusdem Staupizii impulsu absque omni  
 „dubio Paulus Speratus Salisburgum vene-  
 „rit &c., Hæc ille: ast quam misera &  
 pauper fuerit Lutherana Ecclesiæ conditio,  
 inde



in opem accurrerat quidam Apostata, <sup>Sæc. XVII.</sup>  
 nomine Matthæus, qui anno Christi <sup>A. C. 1684.</sup>  
 millesimo quingentesimo vigesimo ter-  
 tio rudibus hisce populis nova hæc com-  
 menta suis sermonibus infusurrabat: ast  
 Archiepiscopi jussu comprehensus, in-  
 jectis vinculis Mitterfilium ductus est,  
 ibidem perpetuo carcere plectendus:  
 dum vero in itinere satellites ad S. Leo-  
 nardi oppidum in hospitio diverterent,  
 novumque hunc Prædicantem equo ad-  
 strictum ante foras cauponæ relinque-  
 rent; hic occasione inde arrepta se unice

S 4 ob

inde elucet, quod profelytos calumniis &  
 mendaciis emendicare oportuerit; qua fronte  
 Eckardus Staupizium Lutheranzæ sectæ cul-  
 torem nominare audeat? Luthero quidem, ut  
 contra Indulgentiarum abusum declamaret,  
 præcepit, non autem ut ipsas indulgentias, uti  
 Lutherus fecit, impugnaret: num ignorare  
 poterat, quod Staupizius utpote Luthero  
 oblitens, propterea novatorum odium sibi  
 accersierit, & ad Archiepiscopi palatium,  
 obsequium, patrociniumque confugere co-  
 actus fuerit? Attulit quidem magnam Lutheri  
 manuscriptorum partem, cur autem reticuit  
 Eckardus, quod tota illa Lutheri Bibliotheca  
 publice in Monasterii area incendio fuerit tra-  
 dita? unde probat, Speratum a Staupitzio  
 incitatum Salisburgi suum venenum, evo-  
 muisse.



Sæc. XVII. puri Evangelii prædicationem vexari  
 A. C. 1684. inclamans, populi opem imploravit: mox  
 temulenta confluit rusticorum turma,  
 vique adhibita impium vinculis absolvit.  
 Ubi vero hujus tumultus auctor præci-  
 pius nomine Stöckelius capite plexus  
 erat, Alpestres sumptis armis confluen-  
 tes civitatem occupant, ipsum Archi-  
 episcopum in arce obsident, ac tribus  
 Catholicorum millibus aut cæsis aut  
 captis arcem Werfensem sibi subjiciunt.  
 Ita nempe Lutheri secta nonnisi seditio-  
 nibus, cædibusque propagari consue-  
 vit. Hac rebellione Boicis armis se-  
 data, rursus novi Evangelii Præcones  
 insurrexere Georgius Schörer, Simon  
 Scheich, Joannes Malin Ludimagister,  
 & Martinus Lödinger Gufsteinii Consul,  
 quorum aliqui capitis, vel rogi suppli-  
 cio, alii exilio mulctati sunt: horum  
 posterior a Luthero literas recepit, &  
 binas ad suos cives hæresi infectos trans-  
 misit: Ne vero latius serperet hæc pe-  
 stis, obstitit vigilantia Matthæi Langii,  
 Ernesti, Michaelis a Khienburg, Joan-  
 nis de Kuon, Wolfgangi de Kaitenau,  
 & Marci Sittici Archiepiscoporum;  
 nihilominus tamen nonnulli agrestes  
 per metalli fossores e Saxonia evocatos  
 clam Lutheranae sectæ libros recepe-  
 runt, quorum lectione sensim plures  
 partim in fodinis, partim in extimis  
 alpibus



alpibus perversi diu venenum occulta-  
 runt, ob Parochorum, ac Præfectorum  
 metum palam erumpere veriti: Tan-  
 dem vero hoc anno eorum a vera fide  
 defectio simplicium animis ex conver-  
 satione & consuetudine cum Luthera-  
 nis, in quorum terras præcipue Teffe-  
 regenses ad peragendos rusticanos la-  
 bores singulis æstatibus peregre com-  
 meare solebant, affricata permansit:  
 Primum erroris monstrum deprehende-  
 batur, dum falsis doctrinis jamjam im-  
 buti, Catholicos ritus & consuetudines  
 duntaxat exterius retinerent, minus-  
 que frequenter Catholicorum Sacris in-  
 teressent, ac frigidiores apparerent,  
 falsaque dogmata cum avitæ veræque  
 Religionis contemptu interius junge-  
 rent: Inde vero Parochis, & pagorum  
 Præfectis eorum religio suspecta erat,  
 quocirca Joannes de Thaur Archiæpi-  
 scopus hujus sectæ progressum sistere  
 studiosissimus, nil omnino intermisit,  
 ut misere deceptas, errantesque ovicu-  
 las ad veræ Religionis pascua reduce-  
 ret: selegit sedulos Parochos, Viros-  
 que Apostolicos, necnon vigiles Præ-  
 fectos, qui interminata etiam pœna-  
 rum severitate ejusmodi librorum lectio-  
 nem, usumque eis interdicerent: Ali-  
 quamdiu non pauci simulata pietate  
 Eucharistiam a Catholicis Sacerdotibus

Sæc. XVII.  
 A. C. 1684.



Sæc. XVII. recipiebant, reique Sacræ ac concio-  
 A. C. 1684. nibus intererant, detecta vero eorum  
 hypocriti in fidei Catholicæ confes-  
 sionem jurare, Lutheranorum libros tra-  
 dere, & connubia nonnisi coram Pa-  
 rocho Catholico inire jubebantur: ob-  
 temperarunt huic mandato multi, alii  
 vero ipsis alpius suis duriores, relictis  
 suis prolibus plusquam sexcentis malue-  
 runt solum vertere, quam sectam, cu-  
 jus nequidem scita probe noverant, de-  
 ferere; cum enim a rudibus metalli  
 fossoribus, cæcisque Magistris cæci du-  
 cerentur, nil aliud didicerant, nisi con-  
 sueta convitia in Papam evomere, Ro-  
 manam Ecclesiam, *meretricem*, & Pa-  
 pam, *Antichristum* appellitare, cetero-  
 quin in sectæ, quam profiterentur,  
 articulis adeo ignari, ut in suis articu-  
 lis non modo a Calvinistis, sed ipsis e-  
 tiam Lutheranis dissentirent, & nescio  
 quod novæ sectæ monstrum procrea-  
 rent: Igitur Archiepiscopus plusquam  
 mille ex hisce obstinatis rusticis, ac  
 fossoribus e sua ditione ejecit, suamque  
 Provinciam a virulentæ hujus conta-  
 gionis malo feliciter liberavit. Horum  
 emigrationem quidem metallarius no-  
 mine Josephus Schaidberger plumbeo  
 plane stylo descripsit, & præter plura ad-  
 modum insulsa & falsa sibimetipsi re-  
 pugnant narravit, quod *Salisburgo in sua*  
*patria*

*Act. erud.*  
*Lips. 1688.*  
*pag. 448.*



*patria omnes pro aris & focis duntaxat* Sæc. XVII.  
*Catholicam fidem professi sint, ac ipsemet a* A. C. 1684.  
*suis Parentibus usque ad vigesimum octavum*  
*ætatis annum in Romano - Catholica reli-*  
*gione educatus fuerit, mox autem sui im-*  
*memor addidit, quod ejus Parentes &*  
*Majores perdilecta Biblia, pluresque*  
*alios Evangelicorum libros habuerint,*  
*ex quibus ipse a teneris per suos Paren-*  
*tes juxta eorum simplicitatem fuerit*  
*clam imbutus, sui que Parentes diu in*  
*Ecclesia invisibili perseverarint, donec ipse*  
*ex Provincia anno ætatis suæ vigesimo*  
*octavo expulsus fuerit: Anno autem*  
*sequenti Tesserengenses rustici quosdam*  
*ex hisce exulibus ad Saxonix Electo-*  
*rem, aliosque Protestantes Imperii Or-*  
*dines ablegarunt, datisque die decima*  
*quinta Martii Augustæ literis de inju-*  
*ria sibi illata questi, eorum opem im-*  
*plorarunt: nec eorum votis deerant*  
*Evangelici Principes, qui per Oratores*  
*suos in comitiis Ratisbonæ degentes da-*  
*tis ad Salisburgensem Archiepiscopum*  
*literis die nona Julii rogarunt, ut juxta*  
*pacem Westphalicam Tesserengensibus*  
*adhuc in valle morantibus liberum, pri-*  
*vatum tamen sectæ exercitium permit-*  
*teretur: illis vero, qui inde jam ejecti*  
*essent, eorum proles, & bonorum alie-*  
*natio concederetur, utrumque vero de-*  
*negavit Archiepiscopus, eo quod hi*  
 mi-



Sæc. XVII. miseri nullam in Imperio permissam religionem ex integro profiterentur, sed varia nova & hæctenus inaudita dogmata amplectentes, a seipsis dissentirent, proin pacis instrumentum, ad quod provocassent, eis nullatenus suffragaretur.

## §. LXX.

*Infustus labor in defendenda Augustana Confessione.*

*Act. erud.  
Lips. ad  
hunc ann.  
pag. 535.*

*Balth. Hager  
Coll. Confess.  
Aug.*

Jam a primis incunabulis Lutheranae fidei formula Augustæ a præcipuis hujus sectæ fabris cusa ac recusa, & tandem sub nomine Confessionis Augustanæ Anno 1530 die vigesima quinta Junii in comitiis Imperialibus exhibitâ non modo a Catholicis sed & Sectariis (manifestum novitiæ hujus fidei argumentum) fuit impugnata; nondum enim integrum effluxerat decennium, cum jamjam altera multis locis variata ejusmodi confessio prodiret, quotque, & quam graves postea factæ fuerint ejusdem vitiationes, quot in ejus etiam prototypo errores contineantur, & Catholicis perperam affingantur, ex solo oculorum testimonio comprobatum redditur: Laborabant equidem, inutili tamen conatu hujus Confessionis defensores, ut ejus integritatem adversus

va-



varios variorum incurfus, fartam, te- Sæc. XVII.  
 tamque fervarent; majus robur addere A. C. 1684.  
 nitebatur auctoritate sua Joannes Geor-  
 gius I. Saxoniae Elector, qui anno 1623.  
 Lipsiensibus suis Prædicantibus præce-  
 pit, ut contra eos, qui hanc confes-  
 sionem a sua integritate, & ejusdem pro-  
 fessores ab ejus fide defecisse demon-  
 strarent, Augustanæ confessionis defen-  
 sionem typis ederent: Verum hac apo-  
 logia adeo nihil profectum, ut biennio  
 post iteratam procudere oportuerit:  
 nihilominus inspecta hujus defensionis  
 imbecillitate Leopoldus Comes a Co-  
 lonitz Neostadiensis Episcopus Viennæ  
 librum, cui titulus: *Augustana & Anti-  
 Augustana Confessio*, edi curavit, in quo  
 Author hujus Confessionis textum a  
 suis Sectariis enormiter vitiatum fuisse,  
 & Lutheranos in singulis ferme articu-  
 lis ab eadem defecisse, luculentissimis  
 argumentis comprobatum reddidit. Ne  
 ergo hujus libri lectione rudiores Lu-  
 therani debilitata confessionis auctori-  
 tate in dubio de suæ fidei integritate,  
 ac veritate firmarentur, Prædicantium  
 impulsu Joannes Georgius III. Saxoniae  
 Elector Valentino Albertio præfatæ  
 Confessionis defensionem injunxit, qui  
 etiam *Augustanam confessionem thetice &  
 apologetice pertractatam* edidit, quin ta-  
 men vel eam a variationis labe, vel  
 ejus



Sæc. XVII. ejus Sectatores ab Apostasiæ macula  
 A. C. 1684. vindicare potuerit.

## §. LXXI.

*Jacobi Rospigliosi Cardinalis obitus.*

*Eggs Purp.*  
*doct. l. 6.*  
*pag. 491.*

**E**x Purpuratis, qui hoc anno obiere, primo loco occurrit Jacobus Rospigliosus Cimentis IX. Nepos, qui unacum Patruo tum Nuntio Apostolico in Hispaniam ductus, in Salmanticensi Academia in omni liberali scientia egregie institutus fuit, ac Philosophiæ & Jurisprudentiæ cursum mira ingenii felicitate emensus, Magisterialem Lauream consecutus est, tantamque ad res bene gerendas dexteritatem prodidit, ut ejus Patruus non modo illius opera ad gravissima negotia uteretur, sed etiam aliquamdiu absens eidem totam Nunciaturæ molem committere haud dubitaret. Inde vero Romam a suo Patruo reductus ab Alexandro VII. in *Status*, ut vocant, *Secretarium* electus ad Crequium Ducem est ablegatus, ut ob Corsorum militum violentias offensum placaret, quo negotio feliciter composito in Gallias iterum ac tertio decernebatur, ut Regem de proxima legatione Apostolica edoceret: Ex Francia unacum Flavio Chisio Cardinale in urbem reversus, Bruxellas Nuntius venit,



nit, quo munere non sine magno Sedis Sæc. XVII.  
 Apostolicæ, Regionum Ministrorum po- A. C. 1684.  
 pulique applausu perfunctus est. Tan-  
 dem a Clemente IX. Patruo suo Romam  
 revocatus, mox in Franciam cum am-  
 plissima Legati Pontificii auctoritate  
 contendit, ubi accedentibus assiduis  
 Papæ cohortationibus atque officiis Lu-  
 dovicum XIV. ad Noviomagensem pa-  
 cem inclinavit, atque in rei optime  
 gestæ præmium Purpuram adeptus,  
 toti Ecclesiasticæ ditioni regendæ præ-  
 positus est. Enituit in eo summa hu-  
 manitas, morum comitas, prona om-  
 nes juvandi voluntas, auspiciatissima  
 Principum animos conciliandi felicitas,  
 singularis in publicis rebus pertractan-  
 dis prudentia, immotumque boni pu-  
 blici, Sedisque Apostolicæ honorem  
 promovendi studium: Denique maxi-  
 mis defunctus muneribus die secunda  
 Februarii Romæ non sine magno om-  
 nium luctu decessit, annos natus quin-  
 quaginta sex. Edidit lusus poeticos  
 præter varii argumenti epistolas.

§. LXXII.

*Francisci Albicii Cardinalis decessus.*

Parem nominis laudem usque ad tu- Oldoin. in  
 mulum protraxit Franciscus Albi- Ciacon.  
 cius nobilis Cesenas, qui Juris Doctor  
 &



Sæc. XVII. & caussarum Patronus post uxoris suæ  
 A. C. 1684. obitum relicta Patria Romam se contu-  
 lit, ibidemque fori litigiosi actorem ali-  
 quamdiu agens, tandem Sacris initia-  
 tus, apud Neapolitanum & Hispanum  
 Nuntios Auditoris munere functus est,  
 ac postea Cardinalis Gineti Germaniæ  
 Legati socius ac Consultor expleto Le-  
 gationis anno Romam reversus, Asses-  
 soris officium tanta fide, solertia & in-  
 tegritate adimplevit, sicut ab Innocen-  
 tio X. Romana Purpura decoraretur:  
 variis etiam Patrum cætibus adlectus  
 in ferendis sententiis, ac dandis con-  
 siliis tantam prudentiam atque erudi-  
 tionem monstravit, ut ejus dicta velut  
 oracula ab omnibus exciperentur: In-  
 gens etiam Religionis studium præse-  
 tulit in causa Jansenii, uti jam supra  
 meminimus. Erat in utroque jure,  
 Theologia, Sanctorumque Patrum do-  
 ctrina eminens, habebat quoque con-  
 ciones ad populum eruditas, graves,  
 Sanctique Spiritus unctione plenas:  
 Præfuit etiam S. Officii, Concilii, Im-  
 munitatis, Indicis & propagandæ fidei  
 Congregationibus, quas maximo rei-  
 publicæ bono atque Ecclesiæ incre-  
 mento moderabatur: Scripsit decisio-  
 nes doctissimas, tractatum de Cardina-  
 lium ditione in Ecclesia Titulari, vo-  
 lumen epistolarum, & Concionum  
 præter



præter alia ad utrumque jus spectantia. Sæc. XVII.  
Tandem Romæ die quinta Octobris A. C. 1684.  
mortales exuvias deposuit annis, me-  
ritisque cumulatus.

§. LXXIII.

*Hieronymus Boncompagnus Cardina-  
lis mortuus.*

Hoc item anno Purpuratorum Colle-<sup>Suppl. Purp.</sup>  
gium luxit mortem Hieronymi <sup>doct. p. 597.</sup>  
Boncompagni, qui Bononiæ patritio  
genere natus, ac insigni doctrina, mo-  
rumque probitate conspicuus, primo  
utriusque, ut vocant signaturæ Refe-  
rendarius, ac postea Bononiensis Ar-  
chiepiscopus renunciatus est. Mirum,  
quanto Zelo Hieronymus commissum  
sibi gregem sermone & exemplo pave-  
rit ad salutem, ipse Diæcesin, Paræ-  
cias, & Cænobia utriusque sexus dili-  
gentissime lustravit, unde inter Eccle-  
siasticos, plebemque tota passim Diæ-  
cesi tanto sub hoc Præsule nova pieta-  
tis facies apparuit: Postea Bononia  
Romam ab Alexandro VII. evocatus,  
Palatio Apostolico præfectus est, ac  
Romana Purpura decoratus nil a pri-  
stino vitæ pietatisque studio remisit,  
humillimus, in Deum ferventissimus,  
erga omnes comes ac in pauperes libe-  
ralis. Regnante autem Innocentio XI.  
*Hist. Eccles. Tom. LXV. T ad*



Sæc. XVII. ad Bononiensis Ecclesiæ suæ Regimen  
 A. C. 1684. reversus, dispositis optime rebus non  
 multo post extremum clausit diem.

## §. LXXIV.

*Constitutiones Apostolicæ Inno-*  
*centii XI. Papæ.*

*Bull. magn.*  
*Const. In-*  
*noc. XI.*

Inter plures, quas hoc anno Innocen-  
 tius XI. edidit Constitutiones per-  
 celebris est illa, qua octodecim Mona-  
 steriorum Congregationem Benedictino-  
 Bavaricam recens sub invocatione SS.  
 Angelorum Custodum erectam confir-  
 mavit, eamque a Jurisdictione ordina-  
 ria Episcoporum exemit, salvo tamen  
 jure pristino confirmandi Abbates, iis-  
 que, quæ Episcopis tanquam Sedis Apo-  
 stolicæ Delegatis aliunde competunt.  
 biennio post die sexta Februarii idem  
 Pontifex præfatæ Congregationis Con-  
 stitutiones confirmavit. Die etiam de-  
 cima tertia Martii confirmavit sacræ  
 Congregationis decretum, vi cujus Pau-  
 perum Matris Dei Piarum scholarum  
 Congregatio, quam olim Gregorius XV.  
 in Ordinem Mendicantium erexerat, a  
 Jurisdictione Episcoporum exempta om-  
 nibusque privilegiis Religiosorum Men-  
 dicantium ornata fuit. Pariter Papa  
 alias novas Constitutiones Clericorum  
 sæcularium in communi viventium  
 confirmavit.

§. LXXV.



## §. LXXV.

Sæc. XVII.  
A. C. 1684.*Quædam Sacrarum Congregationum  
decisiones.*

Die vigesima quinta Januarii sacra *Const. &*  
Indicis Congregatio librum dam- *decif. SS.*  
navit, cui titulus: *Raymundi Lumbier Congr. Ind.*  
*observationes Theologicae morales &c. circa Rit. Conc.*  
*propositiones novissime ab Innocentio XI.*  
*neon circa alias ab Alexandro VII. haud*  
*pridem damnatas.* Decidit quoque die  
vigesima sexta Februarii sacra Concilii  
Congregatio, quod circa ea, quæ ma-  
teriam peccati concernunt, Episcopus  
etiam in Capellanis Hierosolymitanæ  
Religionis inquirere, & investigare va-  
leat. Rursus præfata Indicis Congre-  
gatio die decima Julii sequentem pro-  
scripsit librum: *Natalis ab Alexandro Dis-*  
*sertatio Polemica de confessione Sacramen-*  
*tali*, quod tamen opusculum permitti-  
tur in editione Lucensi cum notis Ron-  
cagliæ. Die decima quarta Aprilis  
S. Concilii Congregatio declaravit, quod,  
quamvis Congregationi S. Mauri sint  
concessa privilegia Cassinensium, non  
tamen ideo Monachi habeant faculta-  
tem absolvendi in utroque foro, ac di-  
spensandi super censuris & irregularita-  
tibus Monachos suos, qui ante Reli-  
gionis ingressum, homicidiis voluntariis



Sæc. XVII. involuntariis, aliisque patratis facinoribus, irregularitates ac censuras incurrerunt. Pariter eadem Congregatio die decima quinta ejusdem Mensis ad petitionem Fratrum Minimorum S. Francisci de Paula respondit, quod illi, qui a conversorum Statu ad Clericalem transeunt, præcedentiam non metiantur a prima Professione, sed a secunda in statu Clericali: Jam antea retulimus, quod Innocentius XI. Festum Nominis B. V. celebrari præcepit proxima Dominica infra octavam Nativitatis ejusdem Virginis, motis autem dubiis petitum fuit, ut a sacra Rituum Congregatione declaretur. *Primo.* An cessare debeat in dictis locis tam Officium proprium, quam Festum SS. Nominis Mariæ jam ante a sede Apostolica approbatum, ita ut idem Festum dicta die decima septima Septembris cum dicto Officio & Missa propriis non possit amplius celebrari? *Secundo.* An dictæ Indulgentiæ etiam censeantur cessare, an vero intelligantur translatae ad dictam Dominicam infra Octavam Nativitatis Beatissimæ Mariæ Virginis? *Tertio:* An dictum Officium & Missa de Nomine Beatissimæ Mariæ Virginis pro dictis Locis aut Ordinibus Regularibus possint amplius reimprimi, ac illo posthac possint iidem uti? *Et sacra Congregatio*



gregatio respondit ad dicta dubia, ut in-  
 fra, videlicet: *Ad primum*: cessare de-  
 bere. *Ad secundum*: Indulgentias pari-  
 ter cessare pro illa die; & pro trans-  
 latione supplicandum esse Sanctissimo.  
*Ad tertium*: non licere.

Insuper decrevit, quod in eodem  
 festo non sit facienda commemoratio  
 de Nativitate, & in secundis vesperis  
 de Nativitate cadentibus in Sabbato  
 non fiat commemoratio de SS. Nomine:  
 die autem decima octava Novembris  
 Congregatio Concilii respondit, quod  
 Parocho non liceat retinere claves ca-  
 psulæ Eleemosynarum existentis in Ec-  
 clesia intra limites Parochiales, si ha-  
 beat proprium Capellanum seu Recto-  
 rem: Denique S. Rituum Congregatio  
 Procuratori Generali Canoniorum Re-  
 gularium Lateranensium respondit,  
 quod qui recitat Officium de Sancto,  
 de quo habet insignem Reliquiam in  
 propria Ecclesia, si celebrat eo die in  
 alia Ecclesia, debeat omittere *Credo*,  
 illudque sit omittendum in Missis priva-  
 tis tam de SS. Sacramento, quam de  
 Officio duplici (cui aliter non compe-  
 tit) quæ celebratur in Ecclesiis, ubi  
 adest SS. Sacramentum expositum oc-  
 casione quadraginta horarum.

Sæc. XVII.  
 A. C. 1684.



Sæc. XVII.  
A. C. 1684.

§. LXXVI.

*Scriptores Catholici hoc anno denati.*

*Du Pin*  
*nouv. Bibl.*  
t. 17. p. 288.  
*Abrege de*  
*l'Hist. Eccl.*  
t. 2. p. 333.

Præcipuos ex Scriptoribus Ecclesiasticis hoc anno defunctis recensere lubet, inter quos primus est Isaac Ludovicus le Maitre vulgo dictus Sacerdos Portu Regiensis Solitarius, qui de Jansenismo convictus, in carceres detrudebatur, ubi per biennium cum semestri inclusus, tandem libertati assertus Parisios, & postea Pomponam secessit: ubi etiam die quarta Januarii sumptis Ecclesiæ Sacramentis obiit: Scripsit tria volumina solitudinis Christianæ, epistolas Sacras, commentarium in horas Canonicas, explicationem Bibliorum & carmen de traditione Ecclesiæ circa Eucharistiam; Gallice etiam reddidit omnes libros V. & N. Testamenti, libros de imitatione Christi, poema S. Prosperi de ingratis, & Psalmos juxta textum hebraicum. II. Bonus de Merbes Sacerdos edidit summam morum Christianam ex SS. Patribus III. Josephus Ripamontius Canonicus Scælenis scripsit libros septendecim Historiæ Mediolanensis Ducatus & Ecclesiæ, necnon libros sex de rebus gestis Friderici Borromæi Mediolanensis Archiepiscopi præter alios octo libros continuationum. IV.



IV. Daniel Bartolus S. J. typis vulga- Sæc. XVII.  
 vit suum hominem liberatum, pauper- A. C. 1684.  
 tatem contentam, æternitatem conso-  
 latricem, & geographiam ad sensum  
 moralem reductam. V. Hyacinthus  
 Libelli Avenionensis Episcopus ex Ord.  
 FF. Præd. posteris reliquit tractatum  
 de concursu Dei ad operationes libera-  
 & Indicem librorum prohibitorum ejus  
 cura recusum, Theses ex cunctis œcu-  
 menicis Conciliis præter votum, quod  
 tolerari possit thesis propugnans, im-  
 mortalitatem animæ non esse demon-  
 strabilem lumine naturæ. VI. Igna-  
 tius a Matre Dei Carmelita Excalcea-  
 tus scripsit annotationes in acta Aposto-  
 lorum, in epistolas Canonicas & Apo-  
 calypsin. VII. Helena Lucretia Cor-  
 nelia Piscopia, quæ ex Joanne Baptista  
 Cornaro D. Marci apud Venetos Pro-  
 curatore progenita jam septimo ætatis  
 anno Itala, latina, Gallica, Græca,  
 Hispana, Hebraica & Arabica linguis  
 egregie imbuta erat: undecimo autem  
 ætatis anno sese privato voto soli Deo  
 consecrabat, & quamvis ad splendidas  
 nuptias expetita esset, ejusque Paren-  
 tes a Pontifice veniæ gratiam impetras-  
 sent, nihilominus Ordini S. Patris Be-  
 nedicti nomen dedit, assumpto Scho-  
 lasticæ nomine. Cum vero insuper Phi-  
 losophiæ ac Theologiæ necnon Musi-  
 ces,



Sæc. XVII. ces, & Mathesis ac Astronomiæ o-  
 A.C. 1684. ptime gnara esset, a Patre suo ad  
 Doctoratus honores solemniter affu-  
 mendos vehementer incitabatur: Ob-  
 stitit primo religiosa Virgo, tandem  
 vero importunius sollicitata, Patavii  
 in Metropolitana Ecclesia die vigesima  
 quinta Junii in Ordinem Doctorum Phi-  
 losophiæ recepta est, insuper Theolo-  
 giæ Magistra fuisset renuntiata, nisi  
 Barbarigus Cardinalis tum Patavinus  
 Episcopus obstitisset: Prælegerat publi-  
 ce Patavii Philosophiæ præcepta, a  
 summis Principibus, Imperatore Leo-  
 poldo, Joanne III. Polonorum Rege,  
 Carolo V. Lotharingio, aliisque pluri-  
 bus maximi habita, imo ab ipso Inno-  
 centio XI. summo Pontifice literis salu-  
 tata, atque in suis ædibus a Landgra-  
 vio Hassiæ, Bullionio, & Estræo Car-  
 dinalibus honorata. Obiit nimis præ-  
 mature die vigesima sexta Julii nonnisi  
 triginta octo annos nata, moribus &  
 doctrina supra sexum & laurea ad me-  
 moriam, posteritatisque admirationem  
 insignis. Edidit varios sermones, re-  
 citationes Academicas, inscriptiones,  
 seu elogia præter plures epistolas: quæ  
 omnia quarto post anno in unum volu-  
 men contracta, Benedictus Bachinus  
 Parmensibus literis excudi curavit.



Sæc. XVII  
A. C. 1684.

## §. LXXVII.

*Quorundam Scriptorum Acatolicorum opera, & decessus.*

Celebre inter literatos nomen reliquere sequentes Scriptores Acatolici I. Matthæus Larrocanus, qui dissertationem de Photino hæretico, ejusque multiplici damnatione edidit, censuitque ejus hæresin innotuisse primum tempore Concilii Antiocheni Anno 341. illam vero in alia Synodo Antiochena post triennium Anno 344. fuisse damnatam: Subjunxit aliam dissertationem de Liberio Papa, quem secundæ confessioni Sirmiensi subscripsisse propugnat: ceterum utraque hæc dissertatio Genevæ Anno 1670. typographorum socordia non sine mendis prodit. II. Petrus Molinæus scripsit de tyrannide Papali, de Simonia Ecclesiæ Romanæ, de pace & tranquillitate animæ, clamorem Regii sanguinis ad cælum, Parergon incrementum. Psal. 92. v. 14. III. Benedictus Hopferus edidit disputationes de præexistentia animarum ante corpora, de Magnanimitate, de culpa agentium ex metu, & ira, de jure jurando, de desperatione, & de Majestate ac Monarchia: Posteris etiam reliquit trutinam actuum humanorum;

T 5

norum;



Sæc. XVII. A. C. 1684. norum, iconem virtutis moralis, & Stoicismum de æqualitate vitiorum exploratum. IV. Rudolphus Capellus edidit Cavii tabulas Scriptorum Ecclesiasticorum, syntagma lectionum Bibliothecariorum, Byzantina, atque exclamationem de Luthero ejusque Reformationis opere. V. Valerius Jäschius prælo subjecit disputationes Ethicas, Ecclesiæ Lutheranæ veritatem & antiquitatem, observationes in vitam S. Ottonis ab Andrea Abbate Bambergeni conscriptam, & discussionem Wärlenburgicorum fundamentorum. VI. Sigismundus Schelhamer vulgavit coronam novam, & antiquam, necnon testimonium gentilium de miraculis in religione Christiana. VII. Arnoldus Paschius posteritati reliquit disputationes de Concilio Nicæno primo, de S. Athanasio, & de Novatianismo. VIII. Sebastianus Nieman publici juris fecit suum Atheum refutatum, Harmoniam Evangelicam Passionis Christi, disputationes de miraculis, de Spiritu sancto, de indulgentiis & Verbis institutionis Coenæ Dominicæ, præter virulentos tractatus contra P. Keddiū Jesuitam.



Sæc. XVII.  
A. C. 1685.

## §. LXXVIII.

*Quidam libri a S. Indicis Congregatione prohibiti.*

Fluxerat annus hujus sæculi octogesimo quintus, quo S. Indicis Congregatio die tertia Aprilis quemdam librum ubicunque, & quovis idiomate impressum proscripsit, cui titulus erat: *Pentalogus Diaphoricus, sive quinque differentiarum rationes, ex quibus verum iudicatur de dilatione absolutionis ad mentem gemini Ecclesiæ solis SS. Augustini & Thomæ oblati ad examen Sanctissimo D. N. Innocentio XI.*

*Argente  
Coll. Jud.  
t. 3. p. 354.*

Die autem octava Augusti Romani Inquisitores quasdam damnarunt Theses, edito desuper hoc decreto: „Sæcra Congregatio Eminatissimorum & Reverendissimorum DD, S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum habita in Conventu S. Mariæ super Minervam, post examen Theologorum specialiter ad hoc Deputatorum præsentis Decreto declarat Libellum cujus inscriptio, seu titulus est: *Theses Theologicæ, id est Articuli Theologorum Lovaniensium exhibiti Illustrissimo & Reverendissimo Domino Archiepiscopo Mechliniensi, in causa*

Con-



**Sæc. XVII.** *Concordiæ ineundiæ cum Reverendis Patri-*  
**A. C. 1685.** *bus Societatis Jesu, & aliis. Quas, Præ-*  
*sidente eximio Viro Domino & Magistro no-*  
*stro Gummaro Huigens Lyrano Sacra*  
*Theologiæ Doctore in Academia Lovaniensi,*  
*defendet Joannes Beauver Gemblacensis in*  
*Collegio Adriani VI. Pontificis die 12. Ju-*  
*lii 1685. Lovanii typis Guilielmi Strüch-*  
*„want, sub aurea Lampade, esse prohi-*  
*„bendum, sicut Decreto eodem prohi-*  
*„bet ubicumque, & quocumque idio-*  
*„mate, aut versione impressum & im-*  
*„primendum; ita ut nemo cujuscum-*  
*„que sit status & conditionis, eum ul-*  
*„lo modo imprimere, vel imprimi fa-*  
*„cere audeat, sub quocumque prætextu;*  
*„neque impressum apud se retinere, aut*  
*„legere licite valeat: Sed ipsum Ordi-*  
*„nariis locorum, aut hæreticæ pravi-*  
*„tatis Inquisitoribus statim, & cum ef-*  
*„fectu tradere & consignare teneatur,*  
*„sub pœnis in indice Librorum prohi-*  
*„bitorum contentis.„*

Gravioris autem molestiæ argumen-  
 tum summo Pontifici extitere Thefes,  
 quas Franciæ Regi nuncupatas, ejus-  
 que effigie honoratas quidam Sorbonæ  
 Baccalaureus juxta nuperam Cleri Gal-  
 licani declarationem die decima Se-  
 ptembris propugnauerat: Erant autem  
 sequentes tres I. Pontificis potestas  
 duntaxat sese ad Ecclesiasticos extendit.  
 II. Papa



II. Papa nullam in Laicos Principes Sæc. XVII.  
 potestatem habet. III. Ejus declara- A. C. 1685.  
 tiones etiam in articulis fidei ac salutis  
 sine universalis Ecclesiæ consensu nihil  
 valeat. IV. Papa subest Conciliis sal-  
 tem Generalibus. Has Theses pridie  
 in Nuntii Apostolici æde januis affixæ  
 legebantur, ejus quidem famuli illas  
 mox inde abstraxerant; nihilominus  
 tamen altera die disputatio publice ha-  
 bebatur, incassum reclamante Ponti-  
 ficis Nuntio.

§. LXXIX.

*Molinismi initia.*

Quamvis Inquisitionis Tribunal in iis Carol. me-  
 locis, ubi hodiedum viget, cre- mor. l. 9.  
 dendi ac falsa dogmata spargendi licen- Jager Hist.  
 tiam tam arctis constringat cancellis, Eccl. p. 27.  
 ut ægre nova hæresis enasci, & vix Mat. dissid.  
 unquam enata invalescere possit, in- Quiet per-  
 faulto tamen fato Quietistarum doctri- sec.  
 na, pietatis velo contexta per univer-  
 sam ferme Italiam brevi propagata fuit.  
 Hujus auctor erat Michael Molinos,  
 Patacinæ in Aragonia natus, qui Sa-  
 cris initiatus, necnon Lectoratus ho-  
 nore decoratus, totum sese pietatis  
 exercitiis, sacris literis, ac præcipue  
 Theologiæ Mysticæ studio impendit,  
 suæque eruditione, morum probitate  
 ac



Sæc. XVII. ac prudentia tantam sibi existimationem  
A. C. 1685. comparavit, ut passim consilii Angelus,  
 ac interioris vitæ Magister longe ex-  
 pertissimus audiret, & multa hominum  
 millia pro animarum directione ac con-  
 silio ad eum certatim confluerent: Evo-  
 lutis aliquot annis ex Hispania Romam  
 profectus, fictæ pietatis ope ac inter-  
 næ pacis obtentu, Casenatem, Azzo-  
 linium & Carpegnam Cardinales, plu-  
 resque alios minus cautos Viros, &  
 mulieres imo & Religiosos propinata  
*orationis*, quam quietis vocabat, me-  
 thodo nova ad inanem perfectioris con-  
 templationis fastum perduxit, hancque  
 in rem anno hujus sæculi septuagesimo  
 quinto librum edidit, cui titulus: *manu-  
 ductio Spiritualis*. Spurium hunc par-  
 tum suo suffragio approbabant Regiensis  
 Archpræsul, supremus Franciscano-  
 rum Moderator, & P. Martinus Espar-  
 sa Jesuita, ambo S. Inquisitionis Con-  
 sultores præter alios duos: unde hic  
 liber maximo ubique applausu excipie-  
 batur, necnon in varia idiomata trans-  
 latus, in Hispania, Francia, atque  
 Italia, necnon apud Siculos iterato  
 prælo excusus prodiit: Favebant e-  
 tiam huic doctrinæ, cujus venenum  
 nondum senserant, tres celeberrimi Pa-  
 tres Oratorii Colloredus, Cicarius, &  
 Petruccius, quorum posterior ejus li-  
 brum



brum ab imputatis erroribus vindicare  
 nitebatur: Non deerant tamen, qui-  
 bus hujus doctrinæ novitas erroris  
 suspicionem ingereret, quos inter P.  
 Segneri Jesuita aliique editis libris no-  
 vam hanc orandi methodum acriter  
 infectabantur, ac præterea P. De la  
 Chaife Jesuita Franciæ Regem, cui a  
 confessionibus erat, exposito periculo  
 ad inhibendam perniciosissimam hanc  
 doctrinam induxit, effecitque, ut ad  
 Cardinalem Estræum mandata Romam  
 mitterentur, vi quorum hic nova hæc  
 dogmata totis viribus insequi, necnon  
 summo Pontifici exprobrare jubebatur,  
 quod, cum Ludovicus Rex veterem Cal-  
 vini hæresin ex toto Galliarum Regno  
 funditus excindere nitatur, Innocen-  
 tius Papa in Italia novam sensim inva-  
 lescere patitur: Interim vero jam an-  
 tea Romæ sacra Inquisitionis Congre-  
 gatio sedulam impenderat operam, ut  
 Michaelis liber maturo subjiceretur exa-  
 mini, grassantique malo tempestive oc-  
 curreretur: Inquisitorum etiam jussu  
 Cardinalis Cibus datis ad omnes Pur-  
 puratos atque Italiæ Antistites literis  
 eos graviter hortatus est, ut conven-  
 ticula, quæ a viris foeminisque sub fa-  
 cri colloqui, ac purioris fidei internæ  
 obtentu haberentur, dissiparent, ac  
 noxia & erronea dogmata in Ecclesia  
 disse-

æc. XVII.  
 A. C. 1685.



Sæc. XVII. disseminari præpedirent: Insuper hoc  
A. C. 1685. anno Molinosii liber, ejusque epistolæ,  
 quas Pater Petruccius in unum volumen collectas typis edi curavit, anno hujus sæculi octogesimo quarto ad severiorem ac antea discussionem revocabantur, ac ipsemet etiam Molinosius ad Inquisitionis tribunal raptabatur, ubi tamen nativa sua dicendi facultate, variisque artibus, suorumque fautorum subsidio rem eo inflexit, ut ejus liber denuo approbaretur, ac ipse paulopost tractatum suum de frequenti & quotidiana communione a P. Martinez Jesuita veterano Collegii Romani Professore approbatum publici juris faceret: nihilominus indies novæ exaudiebantur querelæ eorum, qui sub pietatis ac viæ internæ velamine religionem Christianam everti, & sub ementito quietis internæ fuco spurcissima scelera a peccato absolvi dolebant: cum ergo Inquisitionis Theologi non modo in Molinosii manuuctione, sed etiam in altero ejus libro recens edito plurimas propositiones hæresis veneno infectas deprehenderent, ac desuper in generali Congregatione in Palatio Apostolico habita referrent, re diligenter discussa Molinosius Mense Majo hujus anni in carceres conjectus est.



Sæc. XVII.  
A. C. 1685.

§. LXXX.

*Sacræ Inquisitionis iudicium de Michaelis Molinos doctrina.*

Interim Romæ Molinosii caussa per integrum ferme biennium summo silentio, ac maxima sedulitate agitabatur: serio etiam in ejus socios, ac doctrinæ fautores inquirebatur: tandem etiam diē nona Februarii Anno Christi millesimo sexcentesimo octogesimo septimo Vespinianus Comes, ejusque Uxor, necnon Paulus Rochius Principis Burghesii Confessarius cum aliis plusquam ducentis custodiæ dabantur: die autem tertia Septembris Simon, & Antonius Maria de Leone fratres, eoque Moniales sibi commissas eadem huc inficere conati essent, ad carceres raptabantur: Eadem quoque die coram Innocentio XI. Papa, ejusque jussu sacræ Inquisitionis Cardinales ac Theologi generalem habuerunt Congregationem, in qua octo & sexaginta Michaelis Molinosii propositiones damnarunt, edito hoc decreto: „Ad abolendam perniciosissimæ hæresis pravitatem, quæ in plerisque mundi partibus, non sine maximo animarum discrimine invaluit, rigor debet Apostolicus excitari, ut Pontificiæ Sollicitudinis auctoritate

*Argentre  
Collect. Jud.  
tom. 3.  
Carpz. in  
dissert. de  
Relig. quiet.*

*Hist. Eccles. Tom. LXV.*

U

„tate



Sæc. XVII. „tate & providentia, Hæreticorum pro- „scrip-  
 A. C. 1685. „tervia in ipsis suæ falsitatis conatibus „Mic-  
 „elidatur, & Catholicæ veritatis lu- „pr-  
 „men in Ecclesia Sancta resplendens, „po-  
 „eam utique demonstret ab omni exe- „scri-  
 „cratione falsorum dogmatum expia- „ipse  
 „tam. Cum igitur compertum fuerit, „est,  
 „quemdam Michaelē de *Molinos* per- „I.  
 „ditionis filium, prava dogmata tum „ann  
 „verbo, tum scriptis passim docuisse, „II.  
 „& in praxim deduxisse, quæ in præ- „sect  
 „textu orationis quietis contra doctri- „II  
 „nam & usum a SS. Patribus ab ipsis „offi-  
 „Ecclesiæ nascentis primordiis rece- „ger  
 „ptum, fideles a vera religione, & „De  
 „Christianæ pietatis puritate, in maxi- „&  
 „mos errores, & turpissima quæque in- „exa  
 „ducebant. Sanctissimus Dominus No- „I  
 „ster, Innocentius Papa XI. cui cordi „ini  
 „est, ut Fidelium animæ sibi ex alto „&  
 „commissæ, purgatis pravæ opinionio- „ope  
 „num erroribus, ad optatum Salutis „V  
 „portum tuto pervenire possint, pro re „lat  
 „tam gravi auditis pluries coram se „ad  
 „Eminentissimis & Reverendissimis DD. „De  
 „Cardinalibus in tota Republica Chri- „ac  
 „stiana generalibus Inquisitoribus, ac „ren  
 „pluribus in sacra Theologia Magistris, „du  
 „eorumque suffragiis, tum voce, tum „ha  
 „scripto susceptis, matureque perpen- „no  
 „sis, implorata etiam sancti Spiritus „eff  
 „assistētia, ad damnationem infra „scri-



Scriptarum Propositionum ejusdem Sæc. XVII.  
 Michaelis de *Molinos*, a quo fuerunt A. C. 1685,  
 pro suis recognitæ, & de quibus Pro-  
 positionibus tanquam a se dictatis,  
 scriptis, communicatis, & creditis,  
 ipse convictus, & respective confessus  
 est, devenire, ut, infra decrevit.,

I. „Oportet hominem suas potentias  
 annihilare. Et hæc est via interna.

II. „Vota de aliquo faciendo sunt per-  
 fectionis impeditiva.,

III. „Velle operari active, est Deum  
 offendere, qui vult esse ipse solus a-  
 gens; & ideo opus est, seipsum in  
 Deo totum & totaliter derelinquere,  
 & postea permanere velut corpus  
 exanime.,

IV. „Activitas naturalis est gratiæ  
 inimica, impeditque Dei operationes,  
 & veram perfectionem, quia Deus  
 operari vult in nobis sine nobis.,

V. „Nihil operando anima se annihili-  
 lat, & ad suum principium redit, &  
 ad suam originem, quæ est essentia  
 Dei, in qua transformata remanet,  
 ac divinizzata, & Deus tunc in seipso  
 remanet; quia tunc non sunt amplius  
 duæ res unitæ, sed una tantum, &  
 hac ratione Deus vivit & regnat in  
 nobis, & anima seipsam annihilat in  
 esse operativo.,



Sæc. XVII. VI. „Via interna est illa, in qua non  
 A. C. 1685. „cognoscitur nec lumen, nec amor,  
 „nec resignatio, & non oportet Deum  
 „cognoscere; & hoc modo recte proce-  
 „ditur. „

VII. „Non debet anima cogitare, nec  
 „de præmio, nec de punitione, nec de  
 „Paradiso, nec de inferno, nec de mor-  
 „te, nec de æternitate. „

VIII. „Non debet velle scire, an gra-  
 „diatur cum voluntate Dei, an cum  
 „eadem voluntate resignata maneat,  
 „nec ne, nec opus est, ut velit cogno-  
 „scere suum statum, nec proprium me-  
 „hil; sed debet ut corpus exanime ma-  
 „nere. „

IX. „Non debet anima reminisci nec  
 „sui, nec Dei, nec cujuscumque rei  
 „& in via interna omnis reflexio est ne-  
 „civa, etiam reflexio ad suas humanas  
 „actiones, & ad proprios defectus. „

X. „Si propriis defectibus alios scan-  
 „dalizet, non est necessarium reflecte-  
 „re, dummodo non adsit voluntas scan-  
 „dalizandi, & ad proprios defectus non  
 „posse reflectere, gratia Dei est.

XI. „Ad dubia, quæ occurrunt, an  
 „recte procedatur, necne, non opus  
 „est reflectere. „

XII. „Qui suum liberum arbitrium  
 „Deo donavit, de nulla re debet curam  
 „habere, nec de Inferno, nec de Pa-  
 „radi-



radiso: nec debet desiderium habere Sæc. XVII.  
 „propriæ perfectionis, nec virtutis, nec A. C. 1685.  
 „propriæ sanctitatis, nec propriæ salu-  
 „tis, cujus spem purgare debet.,

XIII. „Resignato Deo libero arbitrio,  
 „eidem Deo relinquenda est cogitatio  
 „& cura de omni re nostra, & relin-  
 „quere, ut faciat in nobis sine nobis  
 „suam divinam voluntatem.,

XIV. „Qui divinæ voluntati resigna-  
 „tus est, non convenit, ut a Deo rem  
 „aliquam petat; quia petere est imper-  
 „fectio, cum sit actus propriæ volun-  
 „tatis & electionis, & est velle, quod  
 „divina voluntas nostræ conformetur,  
 „& non quod nostra Divinæ. Et illud  
 „Evangeliæ *Petite & accipietis*, non est  
 „dictum a Christo pro Animabus inter-  
 „nis, quæ nolunt habere voluntatem.  
 „Imo hujusmodi animæ eo perveniunt,  
 „ut non possint a Deo rem aliquam  
 „petere.,

XV. „Sicut non debent a Deo rem  
 „aliquam petere; ita nec illi ob rem  
 „aliquam gratias agere debent, quia  
 „utrumque est actus propriæ volunta-  
 „tis.,

XVI. „Non convenit Indulgentias  
 „quærere pro pœna propriis peccatis  
 „debita; quia melius est Divinæ Justi-  
 „tiæ satisfacere, quam Divinam Mife-  
 „ricordiam quærere; quoniam illud ex  
 „puro



Sæc. XVII. „puro Dei amore procedit, & illud ab  
 A. C. 1685. „amore nostri interessato, nec est res  
 „Deo grata, nec meritoria, quia est velle  
 „Crucem fugere. „

XVII. „Tradito Deo libero arbitrio,  
 „& eidem relicta cura, & cognitione  
 „animæ nostræ, non est amplius ha-  
 „benda ratio tentationum, nec eis a-  
 „lia resistantia fieri debet, nisi negativa,  
 „nulla adhibita industria; & si natura  
 „commovetur, oportet sinere ut com-  
 „moveatur, quia est natura. „

XVIII. „Qui in Oratione utitur ima-  
 „ginibus, figuris, speciebus, & pro-  
 „priis conceptibus, non adorat Deum  
 „in spiritu & veritate. „

XIX. „Qui amat Deum eo modo,  
 „quo ratio argumentatur, aut intel-  
 „lectus comprehendit, non amat verum  
 „Deum. „

XX. „Afferere, quod in Oratione  
 „opus est sibi per discursum auxilium  
 „ferre, & per cogitationes, quando  
 „Deus animam non alloquitur, igno-  
 „rantia est; Deus nunquam loquitur,  
 „ejus locutio est operatio, & semper  
 „in anima operatur, quando hæc suis  
 „discursibus, cogitationibus & opera-  
 „tionibus eum non impedit. „

XXI. „In Oratione opus est manere  
 „in fide obscura & universali cum quiete  
 „& oblivione cujuscumque cogitationis  
 „par-



„particularis, ac distinctæ Attribute- Sæc. XVII.  
 „rum Dei, ac Trinitatis, & sic in Dei A.C. 1685.  
 „præsentiâ manere ad illum adorandum,  
 „& amandum, eique inserviendum,  
 „sed absque productione actuum; quia  
 „Deus in his sibi non complacet.,

XXII. „Cognitio hæc per fidem non  
 „est actus a creatura productus, sed est  
 „cognitio a Deo creaturæ tradita, quam  
 „creatura se habere non cognoscit, nec  
 „postea cognoscit, illam se habuisse;  
 „& idem dicitur de amore.,

XXIII. „Mystici cum S. Bernardo in  
 „scala Claustralium distinguunt qua-  
 „tuor gradus, Lectionem, Meditatio-  
 „nem, Orationem & Contemplationem  
 „infusam. Qui semper in primo sistit,  
 „nunquam ad secundum pertransit. Qui  
 „semper in secundo persistit, nunquam  
 „ad tertium pervenit, qui est nostra  
 „contemplatio acquisita, in qua per  
 „totam vitam persistendum est, dum-  
 „modo Deus animam non trahat abs-  
 „que eo, quod ipsa id expectet, ad  
 „contemplationem infusam, & hac  
 „cessante, anima regredi debet ad ter-  
 „tium gradum, & in ipso permanere,  
 „absque eo, quod amplius redeat ad  
 „secundum, aut primum.,

XXIV. „Qualescunque cogitationes  
 „in Oratione occurrent, etiam impuræ,  
 „etiam contra Deum, Sanctos, Fidem,



Sæc. XVII. „& Sacramenta, si voluntarie non nu-  
 A. C 1685. „triantur, sed cum indifferentia & re-  
 „signatione tolerantur, non impediunt  
 „Orationem Fidei; immo eam perfectio-  
 „rem efficiunt; quia anima tunc ma-  
 „gis Divinæ voluntati resignata re-  
 „manet. „

XXV. „Etiam si superveniat somnus,  
 „& dormitatio, nihilominus fit Oratio,  
 „& contemplatio actualis; quia oratio  
 „& resignatio, resignatio & oratio idem  
 „sunt, & dum resignatio perdurat, &  
 „oratio. „

XXVI. „Tres illæ viæ, Purgativa,  
 „Illuminativa, & Unitiva, sunt absur-  
 „dum maximum, quod dictum fuerit  
 „in Mystica; cum non sit nisi unica via,  
 „scilicet via interna „

XXVII. Qui desiderat, & amplecti-  
 „tur devotionem sensibilem, non de-  
 „siderat, nec quærit Deum, sed se-  
 „ipsum, & male agit, cum eam desi-  
 „derat, & eam habere conatur, qui  
 „per viam internam incedit, tam in  
 „locis sacris, quam in diebus solem-  
 „nibus. „

XXVIII. „Tædium rerum spiritua-  
 „lium bonum est, siquidem per illud  
 „purgatur amor proprius. „

XXIX. „Dum anima interna fastidit  
 „discursus de Deo, & virtutes, & fri-  
 „gida



„gida remanet, nullum in seipsa sen- Sæc. XVII.  
 „tiens fervorem, bonum signum est. „ A. C. 1685.

XXX. „Totum sensibile, quod ex-  
 „perimur in vita spirituali, est abomi-  
 „nabile, spurcum & immundum. „

XXXI. „Nullus meditativus veras  
 „virtutes exercet internas, quæ non  
 „debent a sensibus cognosci. Opus est  
 „amittere virtutes. „

XXXII. „Nec ante, nec post Com-  
 „munionem alia requiritur præparatio,  
 „aut gratiarum actio (pro istis anima-  
 „bus internis) quam permanentia in  
 „solita resignatione passiva; quia modo  
 „perfectiore supplet omnes actus virtu-  
 „tum, qui fieri possunt, & fiunt in via  
 „ordinaria. Et si hac occasione com-  
 „munionis insurgunt motus humiliatio-  
 „nis, petitionis, aut gratiarum actio-  
 „nis, reprimendi sunt, quoties non di-  
 „gnoscat, eos esse ex impulsu speciali  
 „Dei; alias sunt impulsus naturæ non-  
 „dum mortuæ. „

XXXIII. „Male agit anima, quæ pro-  
 „cedit per hanc viam internam, si in  
 „diebus solemnibus vult aliquo conatu  
 „particulari excitare in se devotum ali-  
 „quem sensum; quoniam animæ inter-  
 „næ omnes dies sunt æquales, omnes  
 „festivi. Et idem dicitur de locis sa-  
 „cris, quia hujusmodi animabus om-  
 „nia loca æqualia sunt. „

U 5

XXXIV.



Sæc. XVII. XXXIV. „Verbis & lingua gratias  
 A. C. 1685. „agere Deo, non est pro animabus in-  
 „ternis, quæ in silentio manere debent,  
 „nullum Deo impedimentum opponen-  
 „do, quod operetur in illis: & quo  
 „magis Deo se resignant, experiuntur,  
 „se non posse Orationem Dominicam,  
 „seu *Pater Noster* recitare. „

XXXV. Non convenit animabus hu-  
 „jus viæ internæ, quod faciunt opera-  
 „tiones, etiam virtuosas, ex propria  
 „electione & activitate, alias non essent  
 „mortuæ: nec debent elicere actus a-  
 „moris erga B. Virginem, Sanctos, aut  
 „Humanitatem Christi; quia cum ista  
 „objecta sensibilia sint, talis est amor  
 „erga illa. „

XXXVI. Nulla creatura, nec B. Vir-  
 „go, nec Sancti federe debent in nostro  
 „corde; quia solus Deus vult illud oc-  
 „cupare & possidere. „

XXXVII. „In occasione tentationum,  
 „etiam furiosarum non debet anima e-  
 „licere actus explicitos virtutum oppo-  
 „sitarum; sed debet in supra dicto a-  
 „more, & resignatione permanere. „

XXXVIII. „Crux voluntaria mortifi-  
 „cationum pondus grave est & infru-  
 „ctuosum; ideoque dimittenda. „

XXXIX. „Sanctiora opera & pœni-  
 „tentia, quas peregerunt Sancti, non  
 „sufficiunt ad removendam ab anima  
 „vel unicam adhæSIONEM. „

XL.



XL. B. Virgo nullum unquam opus Sæc. XVII, A. C. 1685.  
 „exterius peregit, & tamen fuit San-  
 „ctis omnibus Sanctior: igitur ad San-  
 „ctitatem perveniri potest absque opere  
 „exteriori.,

XLI. „Deus permittit & vult, ad  
 „nos humiliandos, & ad veram trans-  
 „formationem perducendos, quod in  
 „aliquibus animabus perfectis, etiam  
 „non arreptitiis, dæmon violentiam in-  
 „ferat eorum corporibus, easque actus  
 „carnales committere faciat, etiam in  
 „vigilia, & sine mentis offuscatione,  
 „movendo physice illorum manus, &  
 „alia membra contra earum volunta-  
 „tem. Et idem dicitur quoad alios  
 „actus per se peccaminosos, in quo casu  
 „non sunt peccata, quia in iis non ad-  
 „est consensus.,

XLII. Potest dari casus, quod hujus-  
 „modi violentiæ ad actus carnales con-  
 „tingant eodem tempore ex parte dua-  
 „rum personarum, scilicet maris & fœ-  
 „minæ, & ex parte utriusque sequa-  
 „tur actus.,

XLIII. „Deus præteritis sæculis San-  
 „ctos efficiebat Tyrannorum ministerio;  
 „nunc vero eos efficit Sanctos ministe-  
 „rio Dæmonum, qui causando in eis  
 „prædictas violentias, facit, ut illi se-  
 „iplos magis despiciant, atque annihili-  
 „ent, & se Deo resignent.,

XLIV,



Sæc. XVII. XLIV. „Job blasphemavit, & tamen  
 A. C. 1685. „non peccavit labiis suis; quia fuit ex  
 „Dæmonis violentia. „

XLV. Sanctus Paulus hujusmodi dæ-  
 „monis violentias in suo corpore passus  
 „est; unde scripsit: *Non quod volo bo-  
 num, hoc ago; sed quod nolo malum, hoc  
 facio.* „

XLVI. „Hujusmodi violentiæ sunt  
 „medium magis proportionatum ad  
 „annihilandam animam, & ad eam ad  
 „veram transformationem & unionem  
 „perducendam, nec alia superest via.  
 „Et hæc est via facilior & tutior. „

XLVII. Cum hujusmodi violentiæ  
 „occurrunt, finire oportet, ut Sata-  
 „nas operetur, nullam adhibendo in-  
 „dustriam, nullumque proprium cona-  
 „tum, sed permanere debet homo in  
 „suo nihilo, & etiamsi sequantur pollu-  
 „tiones, & actus obscæni propriis ma-  
 „nibus, & etiam pejora, non opus est  
 „seipsum inquietare; sed foras emittendi  
 „sunt scrupuli, dubia, & timores; quia  
 „anima fit magis illuminata, magis ro-  
 „borata, magisque candida, & acqui-  
 „ritur Sancta libertas. Et præ omni-  
 „bus non opus est hæc confiteri, &  
 „sanctissime fit non confitendo, quia  
 „hoc pacto superatur dæmon, & ac-  
 „quiritur thesaurus pacis. „

XLVIII.



XLVIII. „Satanas, qui hujusmodi Sæc. XVII. A. C. 1685.  
 „violentas infert, suadet deinde gra-  
 „via esse delicta, ut anima se inquietet,  
 „ne in via Interna ulterius progredia-  
 „tur, unde ad ejus vires enervandas  
 „melius est ea non confiteri, quia non  
 „sunt peccata, nec etiam venialia.,

XLIX. „Job ex violentia dæmonis  
 „se propriis manibus polluebat eodem  
 „tempore, *quo mundas habebat ad Deum:*  
 „preces (sic interpretando locum ex  
 „Cap. 16. Job.)

L. „David, Hieremias, & multi ex  
 „Sanctis Prophetis hujusmodi violen-  
 „tias patiebantur harum impurarum  
 „operationum externarum.,

LI. „In sacra Scriptura multa sunt  
 „exempla violentiarum ad actus exter-  
 „nos peccaminosos, uti illud de Sam-  
 „sone, qui per violentiam seipsum oc-  
 „cidit cum Philistæis, conjugium iniiit  
 „cum alienigena, & cum Dalila me-  
 „retrice fornicatus est, quæ alias erant  
 „prohibita, & peccata fuissent. De  
 „Judita, quæ Holoferni mentita fuit.  
 „De Elisæo, qui pueris maledixit. De  
 „Elia, qui combussit Duces cum tur-  
 „mis Regis Achab. An vero fuerit  
 „violencia immediate a Deo peracta,  
 „vel dæmonum ministerio, ut in aliis  
 „animabus contingit, in dubio relin-  
 „quitur.,

LII. Cum



Sar. XVII. LII. „Cum hujusmodi violentiæ, et  
A. C. 1685. „tiam impuræ, absque mentis offulca-  
 „tione accidunt, tunc anima Deo pot-  
 „est uniri, & de facto semper magis  
 „unitur. „

LIII. „Ad cognoscendum in praxi,  
 „an aliqua operatio in aliis personis  
 „fuerit violentata, regula, quam de hoc  
 „habeo, nedum sunt protestationes ani-  
 „marum illarum, quæ protestantur, se  
 „dictis violentiis non consensisse, aut  
 „jurare non posse, quod in iis consen-  
 „serint, & videre, quod sint animæ,  
 „quæ proficiunt in via interna: sed re-  
 „gulam sumere a lumine quodam ac-  
 „tualis, cognitione humana ac Theo-  
 „logica superiore, quod me certo co-  
 „gnoscere facit cum interna certitudi-  
 „ne, quod talis operatio est violentia:  
 „& certus sum, quod lumen a Deo  
 „procedit, quia ad me pervenit con-  
 „junctum cum certitudine, quod a Deo  
 „proveniat, & mihi nec umbram dubii  
 „relinquit in contrarium, eo modo,  
 „quo interdum contingit, quod Deus  
 „aliquid revelando, eodem tempore  
 „animam certam reddidit, quod ipse  
 „fit, qui revelat, & anima in contra-  
 „rium non potest dubitare. „

LIV. „Spirituales vitæ ordinariæ in  
 „hora mortis se delusos invenient, &  
 „confusos cum omnibus passionibus in  
 „alio mundo purgandis. LV.



LV. „Per hanc viam internam per- Sæc. XVII.  
 „venitur, etsi multa cum sufferentia, A. C. 1685.  
 „ad purgandas & extinguendas omnes  
 „passiones, ita quod nihil amplius sen-  
 „titur, nihil, nihil, nec ulla sentitur in-  
 „quietudo, sicut corpus mortuum, nec  
 „anima se amplius commoveri finit. „

LVI. „Duæ leges, & duæ cupidita-  
 „tes, animæ una, & amoris proprii  
 „altera, tam diu perdurant quam diu  
 „perdurat amor proprius; unde, quan-  
 „do hic purgatus est, & mortuus, uti  
 „fit per viam internam, non adsunt  
 „amplius illæ duæ leges, & duæ cu-  
 „piditates, nec ulterius lapsus aliquis  
 „incurritur, nec aliquid sentitur am-  
 „plius, nequidem veniale peccatum „

LVII. „Per contemplationem acqui-  
 „sitam pervenitur ad statum non fa-  
 „ciendi amplius peccata, nec morta-  
 „lia nec venialia. „

LVIII. „Ad hujusmodi statum pervé-  
 „nitur non reflectendo amplius ad pro-  
 „prias operationes; quia defectus ex  
 „reflexione oriuntur. „

LIX. „Via internâ sejuncta est a con-  
 „fessione, a Confessariis, & a casibus  
 „conscientiæ, a Theologia, & a Phi-  
 „losophia. „

LX. „Animabus provectis, quæ re-  
 „flexionibus mori incipiunt, & eo e-  
 „tiam perveniunt, ut sint mortuæ,  
 „Deus



Sæc. XVII., Deus Confessionem aliquando efficit  
A. C. 1685. „impossibilem, & supplet ipse tanta

„gratia præservante, quantam in Sa-  
 „cramento reciperent: & ideo hujus-  
 „modi animabus non est bonum in tali  
 „casu ad Sacramentum poenitentiae ac-  
 „cedere, quia id est illis impossibile.”

LXI. „Anima, cum ad mortem my-  
 „sticam pervenit, non potest amplius  
 „aliud velle, quam quod Deus vult,  
 „quia non habet amplius voluntatem,  
 „& Deus illi eam abstulit.”

LXII. „Per viam internam perveni-  
 „tur ad continuum statum immobilem  
 „in pace imperturbabili.”

LXIII. „Per viam internam perveni-  
 „tur etiam ad mortem sensuum; qui-  
 „nimo signum, quod quis in statu mi-  
 „hilitatis maneat, id est, mortis my-  
 „sticæ, est, si sensus exteriores non re-  
 „præsentant amplius res sensibiles, ac  
 „si non essent, quia non perveniunt ad  
 „faciendum, quod intellectus ad eas  
 „applicet.”

LXIV. Theologus minorem disposi-  
 „tionem habet, quam homo rudis.  
 „1. Quia non habet fidem adeo puram.  
 „2. Quia non est adeo humilis. 3. Quia  
 „non adeo curat propriam salutem. 4.  
 „Quia caput refertum habet phantas-  
 „matibus, speciebus, opinionibus, &  
 „speculationibus, & non potest in illum  
 „ingredi verum lumen.”

LXV.



LXV. „Præpositis obediendum est Sæc. XVII. A. C. 1685.  
 „in exteriori, & latitudo voti obedi-  
 „tiæ Religiosorum tantummodo exte-  
 „rius pertingit. In interiori vero ali-  
 „ter res se habet, quo solus Deus, &  
 „Director intrat. „

LXVI. „Risu digna est nova quædam  
 „doctrina in Ecclesia Dei, quod anima  
 „quoad internum gubernari debeat ab  
 „Episcopo: quod si Episcopus non sit  
 „capax, anima ipsum cum suo Dire-  
 „ctore adeat. Novam dico doctrinam,  
 „quia nec sacra Scriptura, nec Conci-  
 „lia, nec Canones, nec Bullæ, nec  
 „Sancti, nec Authores eam unquam  
 „tradiderunt, nec tradere possunt, quia  
 „Ecclesia non judicat de occultis, &  
 „anima ejus habet facultatem eligendi,  
 „quemcunque sibi visum fuerit. „

LXVII. „Dicere, quod internum ma-  
 „nifestandum est exteriori Tribunali  
 „Præpositorum, & quod peccatum sit  
 „id non facere, est manifesta deceptio;  
 „quia Ecclesia non judicat de occultis,  
 „& propriis animabus præjudicant his  
 „deceptionibus & simulationibus. „

LXVIII. „In mundo non est facul-  
 „tas, nec jurisdictio ad præcipiendum,  
 „ut manifestentur Epistolæ Directoris  
 „quoad internum animæ; & ideo opus  
 „est animadvertere, quod hoc est in-  
 „sultus Satanæ, &c. „

*Hist. Eccles. Tom. LXV. X Quas*



Sæc. XVII. „Quas quidem Propositiones tan-  
A. C. 1685. „quam hæreticas, suspectas, erroneas,  
 „scandalosas, blasphemias, piarum au-  
 „rium offensivas, temerarias, Christia-  
 „næ disciplinæ relaxativas, & everfi-  
 „vas, & seditiosas, respective, acque-  
 „cumque super iis verbo, scripto, vel  
 „typis emissa, damnat, circumscribit,  
 „& abolet, deque iisdem & similibus  
 „omnibus, & singulis posthac quoquo  
 „pacto loquendi, scribendi, disputandi,  
 „easque credendi, tenendi, docendi,  
 „aut in praxim reducendi facultatem  
 „quibuscumque interdicit. Qui secus  
 „fecerit, ipsos omnibus dignitatibus,  
 „gradibus, honoribus, beneficiis &  
 „officiis ipso facto perpetuo privat, &  
 „inhabiles ad quæcumque decernit,  
 „vinculo etiam anathematis eo ipso in-  
 „nodat, a quo nullus Romano Ponti-  
 „fice inferior valeat ipsos (excepto mor-  
 „tis articulo) absolvere.,

„Præterea Sanctitas sua prohibet,  
 „ac damnat omnes Libros, omniaque  
 „opera quocumque loco, & idiomate  
 „impressa, necnon omnia manuscripta  
 „ejusdem Michaelis de *Molinos*, verat-  
 „que, ne quis cujuscumque gradus,  
 „conditionis vel status, etiam speciali  
 „nota dignus, audeat sub quovis præ-  
 „textu, quolibet pariter idiomate, sive  
 „sub eisdem verbis, sive sub æqualibus,  
 „aut



„aut æquipollentibus, sive absque no-  
 „mine, seu ficto, aut alieno nomine  
 „ea imprimere, vel imprimi facere,  
 „neque impressa, seu manuscripta le-  
 „gere, vel apud se retinere, sed Ordi-  
 „nariis locorum, aut hæreticæ pravita-  
 „tis Inquisitoribus statim tradere, &  
 „consignare teneantur, sub iisdem pœ-  
 „nis superius inflictis; qui Ordinarii &  
 „Inquisitores statim ea igne comburant,  
 „& comburi faciant. „

Sæc. XVII.  
 A. C. 1685.

§. LXXXI.

*Innocenti Pontificis Maximi Consti-  
 tutio contra ejusdem Molinosi  
 errores.*

Hoc idem Sacræ Congregationis ju-  
 dicialium ac censuram Innocentius XI.  
 Papa die decima nona Novembris con-  
 firmavit, edita desuper Constitutione  
 sequenti: „Cælestis Pastor Christus Do-  
 „minus, ut jacentem in tenebris mun-  
 „dum, variisque gentium erroribus in-  
 „volutum a potestate Diaboli, sub qua  
 „miserere post lapsum primi nostri Paren-  
 „tis tenebatur, sua ineffabili miseratio-  
 „ne liberaret, carnem sumere, & in  
 „ligno crucis, Chirographo nostræ Re-  
 „demptionis affixo, in testimonium suæ  
 „in nos Cbaritatis sese hostiam viven-  
 „tem Deo pro nobis offerre dignatus est:

Bull. magn.  
 Const. In-  
 noc. XI.  
 Argentor. l. 6.  
 pag. 362.

X 2

mox



Sæc. XVII. „mox rediturus in Cælum, Ecclesiam  
 A. C. 1685 „Catholicam Sponsam suam, tanquam  
 „novam Civitatem Sanctam Jerusalem  
 „descendentem de cælo, non haben-  
 „tem rugam neque maculam, unam  
 „sanctamque in terris relinquens, ar-  
 „mis potentiae suæ contra portas inferni  
 „circumvallatam, Petro Apostolorum  
 „Principi, & Successoribus ejus regen-  
 „dam tradidit; ut doctrinam ab ipsius  
 „ore haustam, sartam, tectamque cu-  
 „stodirent, ne oves pretioso suo san-  
 „guine redemptæ pravaram opinionum  
 „pabulo in antiquos errores incidere-  
 „rent; quod præcipue B. Petro mandasse nos  
 „sacræ literæ docent. Cui enim Apo-  
 „stolorum nisi Petro dixit: *Pasce oves*  
 „*meas: & rursus. Ego rogavi pro te,*  
 „*ut non deficiat fides tua; & tu aliquando*  
 „*conversus confirma fratres tuos?* Quare  
 „nobis, qui non nostris meritis, sed  
 „inscrutabili Dei Omnipotentis consilio  
 „in ejusdem Petri Cathedra pari po-  
 „testate sedemus, semper fixum in ani-  
 „mo fuit, ut Populus Christianus eam  
 „sectaretur fidem, quæ a Christo Do-  
 „mino per Apostolos suos perpetua, &  
 „nunquam interrupta traditione prædi-  
 „cata fuit, quamque ipse usque ad  
 „Sæculi consummationem permanen-  
 „tam esse promisit. „

„Cum



„Cum igitur ad Apostolatam no- Sæc. XVII.  
 „strum relatum fuisset, quemdam Mi- A. C. 1685.  
 „chaelem de *Molinos* prava dogmata  
 „tum verbo, tum scripto docuisse, &  
 „in praxim deduxisse, quæ prætextu  
 „Orationis quietis, contra doctrinam  
 „& usum a SS. Patribus ab ipsis na-  
 „scentis Ecclesiæ primordiis receptum,  
 „Fideles à vera religione, & a Chri-  
 „stianæ pietatis puritate in maximos  
 „errores, & turpissima quæque indu-  
 „cebant. Nos, cui cordi semper fuit,  
 „ut Fidelium animæ nobis ex alto  
 „commissæ, purgatis pravaram opinio-  
 „num erroribus, ad optatum salutis  
 „portum tuto pervenire possent, legiti-  
 „mis præcedentibus judiciis, præ-  
 „dictum Michaellem de *Molinos* manci-  
 „pari carceribus mandavimus; deinde  
 „coram nobis, & Venerabilibus Fratri-  
 „bus nostris S. R. E. Cardinalibus in  
 „tota Republica Christiana Generalibus  
 „Inquisitoribus Apostolica auctoritate  
 „specialiter deputatis, auditis pluribus  
 „in sacra Theologia Magistris, eorum-  
 „que suffragiis, tum voce, tum scripto  
 „susceptis, matureque perpensis, im-  
 „plorata etiam Spiritus sancti assisten-  
 „tia, cum prædictorum Fratrum nostro-  
 „rum unanimi voto ad damnationem  
 „infra scriptarum Propositionum ejus-  
 „dem Michaelis de *Molinos*, a quo fue-



Sæc. XVII. „rant pro suis recognitæ, & de quibus  
 A. C. 1685. „Propositionibus tanquam a se dictatis,  
 „scriptis, communicatis & creditis,  
 „ipse convictus, & respective confessus  
 „fuerat, ut latius in processu & Decreto  
 „de mandato nostro lato die 28. Augusti  
 „præsentis Anni 1687. devenire, ut  
 „infra decrevimus. „

His præmissis Pontifex Molinoli  
 propositiones mox relatas annexit,  
 „ita profecutus: „Quas propositiones  
 „tanquam hæreticas, suspectas, erro-  
 „neas, scandalosas, blasphemias, pia-  
 „rum aurium offensivas, temerarias,  
 „Christianæ disciplinæ relaxativas &  
 „eversivas, & scandalosas respective,  
 „ac quæcumque super iis verbo, scripto,  
 „vel typis emissa, pariter cum voto eo-  
 „rumdem Fratrum nostrorum S. R. E.  
 „Cardinalium, & Inquisitorum Gene-  
 „ralium damnavimus, circumscripti-  
 „mus, & abolevimus; deque eisdem  
 „& similibus omnibus & singulis post-  
 „hac quoquo modo loquendi, scribendi,  
 „disputandi, easque credendi, tenendi,  
 „docendi, aut in praxim reducendi fa-  
 „cultatem quibuscumque interdiximus,  
 „& contra facientes omnibus dignita-  
 „tibus, gradibus, honoribus, beneficiis  
 „& officiis ipso facto perpetuo privavi-  
 „mus, & inhabiles ad quæcumque de-  
 „crevimus, vinculoque etiam anathe-  
 „matis



„matis eo ipso innodavimus, a quo nisi Sæc. XVII.  
 „a nobis, & a Romanis Pontificibus A. C. 1685.  
 „Successoribus nostris valeant absolvi.  
 „Præterea eodem nostro Decreto pro-  
 „hibuimus & damnavimus omnes Li-  
 „bros, omniaque opera quocumque  
 „loco, & idiomate impressa, necnon  
 „omnia manuscripta ejusdem Michae-  
 „lis de *Molinos*, vetuimusque, ne quis  
 „cujuscumque gradus, conditionis,  
 „vel status etiam speciali nota dignus,  
 „audeat sub quovis prætextu, quolibet  
 „pariter idiomate, sive sub iisdem ver-  
 „bis, sive sub æqualibus, aut æquipol-  
 „lentibus, sive absque nomine, seu ficto  
 „aut alieno nomine ea imprimere, vel  
 „imprimi facere, neque impressa, seu  
 „manuscripta legere, vel apud se reti-  
 „nere; sed Ordinariis locorum, aut  
 „hæreticæ pravitatis Inquisitoribus sta-  
 „tim tradere & consignare teneatur sub  
 „eisdem pœnis superius inflictis: qui  
 „Ordinarii & Inquisitores statim ea igne  
 „comburant, & comburi faciant.,

„Tandem ut prædictus Michael de  
 „*Molinos* ob hæreses, errores, & tur-  
 „pia facta prædicta debitis pœnis in  
 „aliorum exemplum, & ipsius emen-  
 „dationem plecteretur, lecto in eadem  
 „nostra Congregatione toto processu,  
 „& auditis dilectis filiis Consultoribus  
 „nostri sanctæ Inquisitionis Officii, in  
 „X 4 „sacra



Sæc. XVII. „sacra Theologia, & in jure Pontificio  
 A. C. 1685. „Magistris, cum eorundem venerabi-  
 „lium Fratrum nostrorum S. R. E. Car-  
 „dinalium unanimi voto, dictum Mi-  
 „chaelem de *Molinos*, tanquam reum,  
 „convictum respective, & uti hæreti-  
 „cum formalem, licet poenitentem, in  
 „poenam arcti & perpetui carceris. &  
 „ad peragendas alias poenitentias salu-  
 „tares, prævia tamen abjurazione de  
 „formali per ipsum emittenda, servato  
 „juris ordine damnavimus, mandantes,  
 „ut die & hora præfigendis in Ecclesia  
 „sanctæ Mariæ supra Minervam hujus  
 „almæ Urbis, præsentibus omnibus Ve-  
 „nerabilibus Fratribus nostris S. R. E.  
 „Cardinalibus, & Romanæ Curiae no-  
 „stræ Prælati, universonque populo ad  
 „id etiam per concessionem Indulgen-  
 „tiarum convocando, ex alto tenor Pro-  
 „cessus, stante in suggestu eodem Mi-  
 „chaele de *Molinos*, unacum sententia  
 „inde secuta legeretur. Et postquam  
 „idem de *Molinos* habitu poenitentiae  
 „indutus prædictos errores & hæreses  
 „publice abjurasset, dedimus faculta-  
 „tem dilecto Filio nostri S. Officii Com-  
 „missario, ut eum a Censuris, quibus  
 „innodatus erat, in forma Ecclesie  
 „consueta absolveret, quæ omnia in  
 „executionem dictæ nostræ Ordinatio-  
 „nis die 3. Septembris labentis solemniter  
 „adimpleta sunt. „ Et



„Et licet supra narratum Decretum Sæc. XVII.  
 „de Mandato nostro latum ad majorem A. C. 1685.  
 „Fidelium cautelam typis editum, pu-  
 „blicis locis affixum, & divulgatum  
 „fuerit; nihilominus, ne hujus Apосто-  
 „licæ damnationis memoria futuris  
 „temporibus deleri possit, utque popu-  
 „lus Christianus Catholica veritate in-  
 „structior per viam salutis incedere va-  
 „leat, Prædecessorum nostrorum sum-  
 „morum Pontificum vestigiis inhæren-  
 „tes, hac nostra perpetuo valitura Con-  
 „stitutione supra dictum Decretum de-  
 „nuo approbamus, confirmamus, &  
 „debitæ executioni tradi mandamus;  
 „iterum supradictas Propositiones defi-  
 „nitivè damnantes & reprobantes, Li-  
 „brosque & manuscripta ejusdem Mi-  
 „chaelis de *Molinos* prohibentes & in-  
 „terdicentes sub eisdem pœnis & cen-  
 „suris contra transgressores latis & in-  
 „flictis. „

„Decernentes insuper præsentis li-  
 „teras semper & perpetuo validas &  
 „efficaces existere & fore, suosque ple-  
 „narios & integros effectus sortiri &  
 „obtinere; sicque per quoscumque Ju-  
 „dices Ordinarios & Delegatos, qua-  
 „vis auctoritate fungentes & functuros  
 „ubique judicari & definiri debere:  
 „sublata eis & eorum cuilibet quavis  
 „aliter judicandi & interpretandi facul-



Sæc. XVII. „tate & auctoritate, ac irritum & ina-  
A. C. 1685. „ne, quidquid fecus super iis a quo-  
 „cumque, quavis auctoritate, scienter  
 „vel ignoranter contigerit attentari.  
 „Volumus autem, ut præsentium tran-  
 „sumptis, etiam impressis, manu No-  
 „tarii publici subscriptis, & sigillo ali-  
 „cujus personæ in Dignitate Ecclesia-  
 „stica constitutæ munitis, eadem fides  
 „prorsus adhibeatur, quæ ipsis Origi-  
 „nalibus literis adhiberetur, si essent  
 „exhibitæ vel ostensæ.,

Nulli ergo omnino hominum liceat  
 hanc paginam nostræ Approbationis,  
 Confirmationis, damnationis, repro-  
 bationis, punitionis, decreti & volun-  
 tatis infringere, vel ei ausu temerario  
 contraire. Si quis autem hoc atten-  
 tare præsumpserit, indignationem om-  
 nipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli  
 Apostolorum ejus se noverit incurtu-  
 rum.,

Erat sane Molinosius hæreticus,  
 quo foediorem magisque periculosum  
 non habuit Ecclesia; venenum suum,  
 suasque spurcitas nullus hucusque pie-  
 tatis velamine, variisque artibus cau-  
 tius obtegere ausus est; colebatur diu  
 tanquam sanctus, cum tamen vitam  
 foedissimis sceleribus contaminatam du-  
 crimina sua apud Sacerdotem non de-  
 posuit,



posuit, licet ferme quotidie sacris ope- Sæc. XVII.  
 raretur; nec propriæ fœditati indul- A. C. 1685.  
 sisse contentus, ut alios etiam in idem  
 lutum projiceret, docuit tentationibus  
 non esse resistendum, sequendum, quo-  
 cunque dæmon trahat, naturæ moti-  
 bus obtemperandum, eoquod mere na-  
 turales essent, pluraque alia omnium  
 scelerum fomenta propinavit, eaque  
 omnium hæresiarcharum exemplo S.  
 Scripturæ testimoniis confirmare præ-  
 sumpsit. Ceterum de hujus Nova-  
 toris supplicio, aliorumque fato paulo  
 inferius sermo redibit.

§. LXXXII.

*Religionis Catholicæ exercitium in  
 Alsatia restauratum.*

Inter celebriores victorias ab hoste re- Carol. ma-  
 portatas Ludovicus XIV. Franciæ mor. l. 9.  
 Rex præprimis reputabat triumphum, pag.  
 quo debellata Calvinii & Lutheri secta, Gottfrid.  
 Romanæ Ecclesiæ gaudium atque in- cont. Hisp.  
 crementum, regno autem suo majorem Chron. l. 17.  
 tranquillitatem peperit: Postquam nu-  
 pera pace totam Alsatiam hucusque  
 hæretica pravitate deturpatam sibi per-  
 petuo jure assertam habebat, præci-  
 puam eo curam impendit, ut decepti,  
 atque a suis Præconibus delusi incolæ  
 ad veritatis semitam reducerentur:  
 Hanc



Sæc. XVII. Hanc in rem varia promulgari iussit e-  
A. C. 1685 dicta, vi quorum ad fidem Catholicam  
 reversis ampla concedebantur privile-  
 gia, atque inter alia illis promissum,  
 ut per integros tredecim annos a suis  
 creditoribus molestari haud possent.  
 Prædicantibus vero interdictum, ne  
 deinceps ullum suæ sectæ exercitium  
 haberent, aut quicquam in veræ Reli-  
 gionis aut Ecclesiæ Romanæ præjudi-  
 cium e suggestu proferrent, nec suos a  
 Catholicorum sacris absterrent, aut  
 impedirent, secus proscriptionis pœna,  
 ac Templorum everfione multandi:  
 nihilominus ad Procerum preces Rex  
 permisit, ut Argentinæ unus esset Præ-  
 co, dummodo Gallici idiomatis sit ex-  
 pers, & in urbe, non alibi fixam ha-  
 beret sedem. Ne autem Catholicis aut  
 neo-conversis suam religionem exer-  
 cendi opportunitas deesset, ubicunque  
 saltem septem numerabantur Catholici,  
 his præter Sacerdotem etiam dimi-  
 dia pars Lutherani Templi assignabatur,  
 Westhoviæ autem, Wasselheimii, Males-  
 hemii & alibi passim superius Templi  
 atrium Lutherani Catholicis cedere co-  
 gebantur: in Argentinensi etiam Xeno-  
 dochio Sacerdos Catholicus quotidie  
 rem Divinam peragere, ac reliquum  
 Orthodoxæ fidei cultum exercere jube-  
 batur: insuper Viri Apostolici Luthe-  
 ranos



ranos Ecclesiæ conciliare immoto stu- Sæc. XVII.  
 dio adlaborarunt, ac præter crebros A. C. 1685.  
 sermones & catecheses etiam veræ fi-  
 dei professionem triginta articulis di-  
 stinctam Templorum foribus affixere:  
 denique Le Grange Regius Alsatix Præ-  
 fes, comitantibus eum Abbate Martino  
 de Ratabon & Campereurio Jesuita,  
 omnes Sectarios convocavit, cosque  
 largis pollicitationibus ad ejurandos  
 errores incitans, illis injunxit, ut in  
 omnibus Ecclesiis publicas preces pro  
 Galliarum Rege funderent, ac Festum  
 S. Ludovici quotannis vigesima quinta  
 Augusti die solemni ritu ubique cele-  
 brarent: non deerant tamen, qui in-  
 credibili pervicacia Regiis decretis, ob-  
 latisque gratiis ac monitis resisterent,  
 unde Rex adversus eos severitate uten-  
 dum ratus, primo milites secta Luthe-  
 ranos a signis dimitti, eorumque Præ-  
 fectos stationibus dejici jussit, nisi reli-  
 gioni Catholicæ nomen darent: Nobi-  
 libus etiam denuntiatur, ut vel ad  
 Ecclesiæ sinum redirent, vel suis bo-  
 nis, officiisque cederent: unde factum,  
 ut quamplurimi tam Nobiles, & divi-  
 tes, quam plebæi & pauperes ultro suæ  
 sectæ nuntium mitterent, quos inter  
 Obrechtius Vir longe doctissimus, ac  
 Historiographus insignis ejurato Lu-  
 theri commento a Rege in Argenti-  
 nensis



Sæc. XVII. nensis Urbis Prætozem, ac Senatus  
 A. C. 1685. Præsidem nominabatur, cujus exem-  
 plum mox Gunzerus Civitatis Syndi-  
 cus non sine maximo Sectariorum do-  
 lore & confusione sequebatur: Præ-  
 terea idem Abbas de Ratabon Vicarius  
 Generalis Cleri sui Synodum in Alfa-  
 tia habuit, eo fine, ut quivis scripto  
 traderet, quid ad restaurandam fidem  
 Catholicam opportunius, magisque ne-  
 cessarium censeret, simulque omnium  
 locorum, Parochiarum, Scholarum,  
 Templorum, incolarum, ac reddituum  
 Ecclesiasticorum numerum conscriberet.

## §. LXXXIII.

*Cleri Gallicani Conventus pro reprimenda Hugonotarum petulantia.*

*Hode vie de Louis XIV. pag. 307. Calmet Hist. Univ.* Postquam Hugonotæ in Francia sectæ suæ libertatem armorum potentia ac seditionis ope extorquere desperaverant, integrum ferme diluvium libellorum infamium in Regem, ejus Ministros, religionem Catholicam & Sacerdotes effuderunt, atque Ecclesiam, illiusque supremum Caput pro more suo atris omnino coloribus depingentes, quicquid Sanctum sacrumque erat, tam in concionibus, quam libris suis quotidie horrendis blasphemis, ac convitiis prosciderunt: Eapropter Clerus Galli-



Gallicanus ad avertenda hæc mala in- Sæc. XVII.  
 tentissimus, Mense Junio & Julio Pa- A. C. 1685.  
 risiis crebras habuit congregationes, in  
 quibus de opportunis hocce hæreticos  
 aut coercendi, aut ad sanctæ Ecclesiæ  
 gremium reducendi mediis modisque  
 consultabant: Una erat eademque con-  
 sentiens vox omnium, oblato supplici  
 libello apud Regem Christianissimum esse  
 exponendum, infelicem populum ef-  
 fræni Prædicantium licentia deceptum  
 a vera religione averti, ac Cleri monita  
 triennio abhinc proposita, ceteraque  
 omnia salubriter suscepta consilia suo  
 frustrari successu: Catholicæ fidei dog-  
 mata de sacris literis, traditionibus,  
 Ecclesiæ Sacramentis, Missæ Sacrifi-  
 cio, adoratione Christi in Eucharistia,  
 aliosque fidei articulos tam nigris colo-  
 ribus, mendaciis, calumniis, sinistris  
 falsisque interpretationibus, atque im-  
 posturis depingi, ut edictum Nanne-  
 tense enormiter violaretur, ipsaque cri-  
 minum atrocitas deposceret, ut Rex  
 Christianissimus, utpote primogenitus  
 Ecclesiæ Filius ad Regni sui, suæque  
 Personæ securitatem tam furenti graf-  
 fantique malo promptum & efficax re-  
 medium opponeret, priorumque tem-  
 porum injurias, cruentas seditiones,  
 atque iniquas Catholicorum oppressio-  
 nes pariter vindicaret: Hæc Præsulum  
 oratio



Sæc. XVII. oratio longe acceptissima erat religio-  
 A. C. 1685. ssimo Principi, qui nonnisi religionem  
 Catholicam in suo Regno permittere,  
 jam dudum in animo fixum destinatum-  
 que habebat: Igitur in grande hoc ne-  
 gotium, heroicumque opus præcipue  
 hoc anno omnes suas cogitationes con-  
 vertit, & primo quidem Prædicanti-  
 bus sub gravi pœna inhibuit, ne ore  
 aut calamo fidem Catholicam infecta-  
 rentur, nec Catholicis, uti hætenus  
 consueverant, falsa imputarent dog-  
 mata, nec ullo pacto contra religionem  
 Catholicam loquerentur, aut scriberent.  
 Insuper indicta triremium pœna Hugo-  
 notis, ne ad exterarum Regiones emigra-  
 rent, interdictum, injunctumque, ut  
 Tempia everterentur, in quibus aut  
 Hugonotarum connubia, aut seditiosi  
 sermones habiti, typographis quoque  
 inhibuit, ne suæ sectæ libros imprimerent,  
 in illis vero locis, ubi sublatum  
 esset Religionis suæ exercitium,  
 cæmeteria Catholicis cederent, quibus  
 etiam præceptum, ut intra semestre  
 Calvinistas a suo famulatio dimitterent,  
 Ecclesiastici vero nullum ex Hugonotis  
 ad statum Clericalem promoverent.  
 Hoc tamen aliisque pluribus editis pa-  
 rum profecerat Rex, hinc fontem om-  
 nium malorum obstruere, scilicet Nanne-  
 tense edictum revocare, necesse erat.  
 §. LXXXIV.



## § LXXXIV.

*Edictum Nannetense a Rege Christianissimo revocatum,*Sæc. XVII.  
A. C. 1685.

Erat hoc edictum, per celebre Hugonotarum Palladium, quod edidit Henricus IV. Franciæ Rex, & quidem ea temporis iniquitate, qua Galliæ Regnum diuturnis tam exteris quam civilibus bellis attritum, omnesque Provinciæ penitus exhaustæ, populique immani onere pressi erant: excreverant insuper numero tantaque potentia Hugonotæ, ut seditionem, novaque bella minitantes, quæ rebus pacatis nunquam sperare potuissent, turbidis extorquerent; Rex enim, ut Regno quietem, suæque vitæ securitatem quodammodo daret, armis petitam sectæ libertatem Hugonotis per edictum indulgere cogebatur. Idem imo majus adhuc periculum, ac iterata Calvinistarum rebellio Ludovicum XIII. primisque Regni sui auspiciis Ludovicum XIV. ad innovandum hoc edictum compulit: ubi vero fatali longoque experimento compertum erat, quod Calvinianæ sectæ hydra identidem rictus suos ad novas rebelliones ac motus exerceret, quamdiu Nannetense illud edictum valeret, aliunde vero Hugonotæ

*Calmet l. t.  
pag. 88.**Hist. Eccles. Tom. LXV. Y illud*



Sæc. XVII. illud sæpissime violassent, hinc Rex  
A. C. 1685. unico ictu virulentam hanc hydram esse  
 conficiendam ratus, copias militares  
 per Provincias distribui, decretumque  
 iussit promulgari, quo præfatum edi-  
 ctum, cunctaque in Hugonotarum fa-  
 vorem indulta ac tolerata revocavit.  
 id summis precibus exoptabant Franciæ  
 Præsules, probique omnes ac præ-  
 cipue Luvésius Marchio & Michael  
 Tellierius Regni Cancellarius, quorum  
 posterior Regem ad tam gloriosum opus  
 strenue incitabat, & reipsa revocatio-  
 nis diploma die secunda Octobris septi-  
 mo ante obitum suum die Regio sigillo  
 muniebat, ac cum Simeone sene, octo-  
 genario major exclamabat: *Nunc di-  
 mittis servum tuum Domine, secundum ver-  
 bum tuum in pace, quia viderunt oculi mei  
 salutare tuum.* Regii autem hujus di-  
 plomatis die vigesima tertia ejusdem  
 Mensis promulgati summa erat hæc:  
 „Jam Henricus IV. & Ludovicus XIII.  
 „Nannetense edictum revocare firmum,  
 „fixumque habebant, nec Ludovico  
 „XIV. a primis Regni sui auspiciis alia  
 „inerat mentis sententiã, exteris ta-  
 „men ac domesticis bellis id exequi  
 „præpediebatur, imo ante firmatam  
 „pacem rebus nondum fat probe dispo-  
 „sitis nil aliud hanc in rem perficere  
 „poterat, nisi quod sectæ exercitium  
 „in



„in quibusdam locis supprimeret, & Sæc. XVII.  
 „aliqua aboleret privilegia, ut vero Rex A. C. 1685.  
 „eo securius ingens hoc opus consum-  
 „mare posset, ideo pacis foedus matu-  
 „rare festinabat: Tandem quietem vi-  
 „resque conficiendo parès nactus, de-  
 „creto perpetuo ac irrevocabili tam Nan-  
 „netense edictum de Anno 1629. cun-  
 „ctaque utroque edicto vel aliis ejusmodi  
 „actibus indulta, annullat, & tanquam  
 „nunquam confecta declarat: proin-  
 „omnia Tempa, quæ adhucdum in  
 „Regno exstant, destrui jubet, ac pro-  
 „hibet, ne Religionis, quæ se *refor-*  
 „*matam* dicit, exercitium in quocunque  
 „loco, etiam in Præfecturis Senatus  
 „decreto munitis aut feudi jure firmatis  
 „fiat: omnes Prædicantes intra quin-  
 „decim dierum spatium, nisi ad fidem  
 „Catholicam redire voluerint, Regno  
 „exulent, nec diutius ibidem commo-  
 „rentur, nec interim ullo ministerii sui  
 „officio fungantur, interminata trire-  
 „mum pœna, si secus fecerint: eorum  
 „vero, qui errores suos ejuraverint, post  
 „obitum relictæ viduæ iisdem, ut olim  
 „exemptionibus fruantur, addita pen-  
 „sione triplo ampliore, quam antea a  
 „suis consistoriis receperunt: insuper  
 „ad veram fidem reversi ab iis oneribus,  
 „quibus ad Doctoratus honores promo-  
 „vendi alias subjacere tenerentur, sint  
 „ex-



Sæc. XVII. „exempti: privatæ autem Hugonota-  
 A. C. 1685. „rum Scholæ claudantur, ac univer-  
 „sim omnia in earum favorem indulta  
 „aboleantur, & Calvinistarum infantes  
 „deinceps ritu Catholico Baptizentur,  
 „ac in vera fide enutrientur, cujus de-  
 „creti executionem Judices sedulo ur-  
 „geant: Hi, qui Regno excefferunt,  
 „intra quadrimestre revertantur, evo-  
 „luto autem hoc temporis spatio eorum  
 „bona fisco addicantur, ceteris autem  
 „omnibus subditis indicta masculis tri-  
 „remium pœna, & fœminis bonorum  
 „proscriptione, ac carcere sit vetitum,  
 „ne Regno excederent, aut bona sua  
 „ad exteras ditiones transferrent, de-  
 „nique omnes declarationes contra re-  
 „lapsos antea editæ confirmentur: Ni-  
 „hilominus tamen ex Regia clementia  
 „Sectarii Religionis, quæ se *reforma-*  
 „tam dicit, donec illos æque ac ceteros  
 „illustrare Deo placuerit, in urbibus,  
 „& locis, pagis & terris commorari,  
 „suoque commercio, bonisque frui pot-  
 „erunt, quin ob existimatam religio-  
 „nem reformatam turbari vel affligi va-  
 „leant, ea tamen lege, ne ullum Re-  
 „ligionis exercitium, aut sub orationis  
 „vel Religiosi cultus obtentu conventus  
 „habeant, interminata, ut superius  
 „statutum, carceris aut triremium  
 „pœna.”

Præ-



Præter Regium hoc decretum insuper Sæc. XVII.  
 Parisiensis Archiepiscopus edito catalogo A. C. 1685.  
 ferme sexcentos Calvinianos libros pro-  
 scripsit, quos Senatus Regius supprimi,  
 atque in Bibliopolarum, Prædicantium  
 & Seniorum scrinia inquiri iussit, postea  
 die vigesima quinta Octobris prohibuit,  
 ne ullum Calvinianæ sectæ exercitium  
 in Regis vel Mercatorum navigiis habe-  
 retur, simulque die quinta Novembris  
 sub gravissimis pœnis, cunctis Merca-  
 toribus, navium Præfectis, Nautis &c.  
 vetitum, ne ullo pacto Hugonotarum  
 transmigrationem e regno promoverent;  
 his vero, qui ejusmodi transfugas de-  
 nuntiaverint, media pars bonorum,  
 quæ denuntiati possederant, cedatur.  
 Insuperhabita tamen hac legum severi-  
 tate, & provida circumspectione ferme  
 centies mille Sectarii fuga elapsi in An-  
 gliam, Belgium, Helvetiam, Pede-  
 montium, Daniam, Hassiam, Palati-  
 natum, Brandenburgum, Osnabrugum,  
 aliasque Protestantium ditiones ingen-  
 tem pecuniarum summam præter mer-  
 caturas, Lanificii aliasque artes & opi-  
 ficia transtulerunt: hoc tamen ingens  
 proventuum temporale damnum inde  
 emergens, ceterasque omnes huma-  
 nas rationes Rex Religionis Zelo, Re-  
 gnique tranquillitati longe postposuit,  
 maluitque pauciores habere subditos,  
 Y 3 quam



Sæc. XVII. quam innumeros Deo, Ecclesiæ, Re-  
A. C. 1685. gique rebelles: nihilominus vices cen-  
 tena Calvinianorum millia, imo omnes,  
 exceptis duntaxat sexcentis, Prædican-  
 tes Regiis pollicitationibus resistendo  
 impares religionem Catholicam, saltem  
 exterius amplexati sunt.

## §. LXXXV.

*Gratulatiõ Innocentii XI. Pontifi-  
 cis literæ ad Franciæ Regem.*

*Carol. me-  
 mor. p. 281,  
 lib. 9.  
 Cabinet Hist.  
 de Lorr.  
 l. 38.*

Promulgato revocationis decreto Rex  
 residua Hugonotarum Tempora de-  
 strui iussit, inter quæ longe augustissi-  
 mum erat Charentonianum a celebri  
 Architecto Jacobo Brossuo delineatum,  
 necnon Metense non minus insignis.  
 Tam heroici operis fama Romæ brevi  
 innotuit, quocirca Innocentius XI. Pon-  
 tifex ingenti perfusus gaudio has ad  
 Ludovicum Regem literas exarabat:

„Charissime in Christo Fili noster.  
 „Cum præ cæteris documentis, quæ in-  
 „genitam Tuæ Majestatis pietatem ab-  
 „unde declarant, maxime excellat exi-  
 „mius ille Christianissimoque Rege di-  
 „gnus Zelus, quo strenue incensus fa-  
 „ventes istius Regni hæreticis Confi-  
 „tutiones penitus abrogasti, fideique  
 „orthodoxæ propagationi Sapientissi-  
 „mis editis decretis egregie consulisti,  
 „sicut



„sicut nobis exposuit filius noster di- Sæc. XVII.  
 „lectus nobilis Vir de Estrées, Tuus A. C. 1685.  
 „apud nos Orator: Officii nostri esse  
 „duximus, splendido ac mansuro hoc  
 „literarum nostrarum testimonio incly-  
 „tam animi Tui religionem effuse com-  
 „mendare, quemque rebus hucusque  
 „cumulum adjecisti, impense tibi gra-  
 „tulari. Recensebit profecto tuis in  
 „factis Catholica Ecclesia tam grande  
 „tuxæ erga ipsam devotionis opus, no-  
 „menque tuum non interituris præ-  
 „coniis prosequetur. Uberem vero in  
 „primis a Divina Bonitate præstantif-  
 „simi Consilii retributionem polliceri  
 „Tibi merito poteris, persuasumque ha-  
 „bere, non omisso nos enixa ad ean-  
 „dem Bonitatem in hunc scopum vota  
 „continenter effundere. Cætera a ve-  
 „nerabili Angelo, Archiepiscopo Far-  
 „nensi cognosces, dum Majestati Tuæ  
 „Apostolicam benedictionem amantif-  
 „sime impertimur. Datum Romæ die  
 „decima quinta Novembris, Anno mil-  
 „lesimo sexcentesimo octogesimo quin-  
 „to.,

## §. LXXXVI.

*Hujus Revocationis successus.*

Quo major erat Catholicorum, pro-  
 borumque lætitia atque applausus,

Y 4

eo



Sæc. XVII. eo magis effrons, atque aculeata erat  
 A. C. 1685. Protestantium rabies, qua hujus revo-  
 cationis æquitatem allatrare niteban-  
 tur, caussantes, fidem Hugonotis da-  
 tam non fuisse servatam, sectæque eju-  
 rationem violenter impositam; Atta-  
 men edicto, quo Hugonotarum secta  
 contra Regum voluntatem irrepens in  
 Gallis fuit tolerata, Rex fidem suam  
 non obstrinxit, nec eam utpote circa  
 rem seu hæresin, quam Deo, Ecclesie,  
 & Regno noxiam atque exosam agno-  
 vit, obstringere potuit: nec etiam hæc  
 tolerantia *pactum* stabile, mutuum at-  
 que immutabile erat, sed duntaxat po-  
 litica & temporaria declaratio, quam  
 temporum iniquitas, armata petentium  
 subditorum potentia, gravioris mali  
 imo & præsentaneæ ruinæ metus, ab  
 invitis & reluctantibus regibus extorfe-  
 rat, ex ipsa vero sua natura ad fata-  
 lem illam temporum necessitatem re-  
 stricta erat, imbibitamque habebat con-  
 ditionem: *quandiu præsens necessitas du-  
 ratura sit.* Hæc insuper libertas Hu-  
 gonotis duntaxat indulta erat, quandiu  
 tranquille in Regno subsisterent, Regi  
 suo fidem servarent, & patriæ Socie-  
 tatis leges adimpleverint: quam cre-  
 bra autem bella, seditiones, & tumul-  
 tus contra Reges suos moverunt Hu-  
 gonotæ? quoties pro arbitrio suo con-  
 cessiones



cessiones sibi per hoc edictum factas ex- Sæc. XVII.  
 tenderunt, violarunt, ipsaque Regum A. C. 1685.  
 indulgentia ad eorum excidium abusi  
 sunt, imo etiam eo tempore, quo ob  
 succisas vires tumultuari non poterant,  
 tumultuandi voluntas non defuit, hæc  
 autem bestia, si neminem vulneret,  
 propterea mansueta dici nequit, nec  
 toleranda est; dentes enim & unguis  
 ad vulnerandum semper paratos habet.  
 Num Ecclesia, & Ecclesiæ defensores  
 jus suum in filios amittent, eo quod qui-  
 dam degeneres illorum jugum sacrilega  
 rebellione excusserint? Num religio-  
 nem avitam per plurima sæcula sollicitè  
 conservatam tuendi potestate privan-  
 tur Principes, quia nova, recens nata,  
 subdole ac violenter intrusa invitæ Prin-  
 cipibus apud quosdam invalescit subdi-  
 tos: Si sub vano obtentu, quod Reli-  
 gio Catholica Regni pacem perturbet,  
 Suecia, Dania, & Anglia illam exter-  
 minavit, & Catholicos acerbius longe  
 vexavit, num Franciæ Regibus novam  
 religionem, per quam Regni tranquil-  
 litatem turbari, Regum vitæ & digni-  
 tati insidias strui, ceterosque subditos  
 acerbius vexari, funesta, crebraque do-  
 cuit experientia, interdicerè non lice-  
 bit? Enimvero non exilii, carceris,  
 bonorum confiscationis aliarumque pœ-  
 narum metu, aut armorum strepitu,

Y 5

sed



Sæc. XVII. sed doctrina, Evangelica prædicatione,  
A. C. 1685 atque instructione, vera Religio est  
 conservanda, propagandaque. Ast quan-  
 to tempore Franciæ Reges hæc media  
 adhibuere, ac neminem violentis me-  
 diis ad fidem coegerunt? adeo tamen  
 pertinaciter ad avitam Regis Regni-  
 que religionem redire abhorrebant Calvi-  
 nistæ, ut etiam armata rebellione se-  
 ctam suam per universum Regnum pro-  
 pagare niterentur. Fors subditis liceat  
 novam religionem armis intrudere, non  
 autem Regi tanquam Ecclesiæ Advoca-  
 to & Protectori, avitam armis con-  
 tra subditos rebelles tueri, ac fideles  
 suos subditos a perversione, regnum  
 ab excidio vindicare, populi sui sedu-  
 ctos, totque seditionum Authores e  
 Regno ejicere non liceat? num Prin-  
 cipi, qui etiam capitis pœna blasphe-  
 mias, homicidia, adulteria, aliaque  
 crimina plectere potest, ac tenetur,  
 hæresin tranquillitati publicæ, ac secu-  
 ritati propriæ insidiantem admota etiam  
 vi eliminare, ac subditos ea infectos  
 ad religionem, sinceræ fidelitatis, pa-  
 cis, ac obedientiæ Magistræ compellere  
 non liceat, præcipue, si eam nulla  
 publica pacificatione aut contractu to-  
 lerare adstringatur. Jam igitur Rex  
 refractarios Calvinistas, quos lenitatis  
 via ad meliora reducere desperabat,  
 pœna-



pœnarum metu coercere satagit: *Mea, Sæc. XVII,*  
 inquit S. Augustinus (\*) primitus sententia erat, *A. C. 1685,*  
 neminem ad unitatem Christi esse cogendum: Verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noveramus, sed hæc opinio mea demonstrantium superabatur exemplis: civitas mea, cum tota esset in parte Donati, ad unitatem Catholicam timore legum Imperialium conversa est. . . . Quam multi propterea putabant veram Ecclesiam esse partem Donati, quia eos ad cognoscendam Catholicam veritatem securitas torpidos, fœlidos, pigrosque faciebat. His harum legum terror, quibus promulgandis Reges serviunt Domino in timore, ita profuit, ut Deo gratias agant, qui vincula dirupit & eos ad pacis vinculum transtulit, alii dicant: nesciebamus hic veritatem esse, nec eam discere volebamus, sed nos ad eam cognoscendam metus fecit intentos, quo timuimus, ne forte sine ullis rerum æternarum lucris damno rerum temporalium feriremur: Gratias Domino, qui negligentiam nostram stimulo terroris excussit, ut saltem solliciti quæreremus, quod securi nunquam nosse curavimus. Alii dicant, nos falsis rumoribus terrebamur ingredi, quos falsos esse sciremus

(\*) S. Aug. Epist. 93. alias 48. ad Vincentium.



Sæc. XVII. *remus, nisi intraremus, nec intraremus,*  
 A. C. 1685. *nisi cogere mur. Gratias Domino, qui tre-*  
*pidationem nostram flagello abstulit, exper-*  
*tos docuit, quæ vana & inania de Ecclesia*  
*sua mendax fama jactaverit.*

## §. LXXXVII.

*Carolus II. Angliæ Rex non sine ve-*  
*neni suspitione mortuus.*

*Hist. de*  
*Jacq. II.*  
*Breten. ab-*  
*reg. de la*  
*Vie de Jacq.*

**V**ix Carolus II. Angliæ Rex detecta  
 Puritanorum conjuratione vitam,  
 auctoritatemque suam in tuto collocare  
 cæperat, cum die decima sexta Februarii  
 repentina morte decederet. Tam in-  
 opinum decessum potissimi veneno ab  
 ejus adversariis propinato adscribere;  
 Rex enim integris viribus, ac cor-  
 poris robore quamplurimos anteibat,  
 & singularem sanitatis suæ curam  
 semper habebat, nihilominus tamen  
 pridie ante obitum suum vehementissi-  
 mis stomachi doloribus obrutus, elusis  
 omnibus medicæ artis remediis non-  
 nisi quinquaginta quatuor annos natus  
 Witehalix mortalitatem exiit: Spar-  
 gebatur in vulgus, Regem apoplexia  
 tactum obiisse, ast nullum omnino sym-  
 ptoma prævie in capite senserat, ejus-  
 que corpus confestim haud tolerandum  
 foetorem exhallabat, aliunde etiam vio-  
 lentæ mortis suspitionem augebat, ni-  
 mis



mis affectata fœcordia Anatomicorum, Sæc. XVII.  
qui defuncti stomachum ac viscera, in A. C. 1685.  
quibus tamen facile propinati veneni  
inditia deprehendere potuissent, non-  
nisi neglectim scrutabantur, ac Need-  
hamum Medicum, qui acuratus in has  
partes investigare gestiebat, velut im-  
portunum Nasutulum rejiciebant; in-  
super alius Medicus, nomine Schortus  
magnæ probitatis Vir, ac religione Ca-  
tholicus palam asseribat, Regem vio-  
lenta morte sublatum esse, imo cum  
& ipse paulopost in repentinum incide-  
ret morbum, morti proximus testaba-  
tur, absdubio se quoque pari cum Rege  
fato interire, eo quod nimis libere suum  
de Regis obitu divulgasset iudicium;  
paulo ante etiam Rex a venatione re-  
versus, ac nonnisi pallio suo contactus,  
in strato quiescebat, cum autem evigi-  
lans, relicto pallio abiret, quidam ex  
ejus domesticis in eodem lecto cubatu-  
rus, sese huic pallio involvit, & ita  
pugione transfossus, repertus est: Hæc  
erant acceleratæ mortis argumenta:  
utut autem res se habuerit, id omnino  
exploratum est, quod Regis cadaver  
nequidem in lecto ad pompam ornato  
expositum parco admodum sumptu tu-  
mulatum fuerit: Ceterum Rex in ex-  
tremis vitæ Catholicam religionem  
professus creditur; multis enim abhinc  
annis



Sæc. XVII. annis eam, ob metum Puritanorum  
 A. C. 1685. secreto coluerat; cum autem duo  
 Pseudo - Episcopi de Regis vita con-  
 clamatum inaudirent, ad auricularem  
 noxarum confessionem eundem adhor-  
 tantes, Calvinianam Synaxin porrigere  
 parabant; Rege autem tergiversante  
 Eboracensis Dux ejus Frater illum re-  
 motis arbitris hortabatur, ut sese cum  
 Ecclesia Catholica conjungeret. An-  
 nuit lubentissimo animo Rex, respon-  
 dens: *Frater mi, per Dei amorem advoca  
 protinus Sacerdotem Catholicum:* Dux  
 gaudio plenus, per Castelmel-harrum  
 Lusitanum Comitem, qui solus ex Ca-  
 tholicis aderat, nulla mora accersivit  
 Patrem Huldestonum Benedictinum,  
 qui jam anno hujus sæculi quinquage-  
 simo quinto Regem Worcestriensi præ-  
 lio devictum a vitæ discrimine & ho-  
 stium furore eripuerat. Hoc igitur,  
 necnon Eboracensi Duce, Batho &  
 Fevershamo Comitibus Acatholicis  
 præsentibus Rex errores suos ejuravit,  
 ac vitæ præteritæ noxis rite expiatis,  
 Ecclesiæ Sacramenta summa religione  
 recepit, palam professus, quod recon-  
 ciliationis suæ gratiam unice indefesso  
 Fratris sui Zelo & affectui in acceptis  
 referre teneretur. Hic exitus fuit Ca-  
 roli Regis ob clementiam, & egregias  
 animi dotes vere laudabilis: Eminuit  
 præ-



præcipue prudentia, pacis amore, Sæc. XVII.  
 mansuetudine, atque infracta in subdi- A. C. 1685.  
 tos toties rebelles charitate: erat ta-  
 men voluptatibus plus æquo addictus,  
 quod tamen vitium Protestantes haud  
 ægre diffimulassent, dummodo Catho-  
 licis indulgentior non fuisset, in quos,  
 si legum severitate animadvertit, id  
 nonnisi a Calviniano Parlamento co-  
 actus fecit.

§. LXXXVIII.

*Prima Regni auspicia sub Jacobo II.  
 Anglorum Rege.*

Paucis post Regis obitum horis Jaco- Thoiras Ra-  
 bus II. antea Eboracensis Dux Lon- pin Hist.  
 dini in Angliæ Regem proclamatus est, d' Angl. l. 24.  
 nemine sese novo huic Regi opponente: Burnet Hist.  
 Ut vero hosce, qui illum paulo ante a d' Angl. t. 3.  
 Regni successione excludere molieban- Mem. de la  
 tur, clementia, atque auspiciatoris Re- dern. Revol.  
 giminis spe deliniret, habito Witehal- d' Angl. t. 1.  
 liæ Senatu pollicébat, se Regiminis  
 tam Ecclesiastici quam politici normam  
 a Regni legibus stabilitam ac populi pri-  
 vilegia semper sarta, tecta que servatu-  
 rum. Postea edito diplomate cunctos  
 Regni Ministros in suis officiis confir-  
 mavit, necnon defuncti Regis & Par-  
 lamenti edicta adhucdum observari præ-  
 cepit: biduo post Missæ Sacrificio in  
 Sacel-



Sæc. XVII. Sacello S. Jacobi publice interfuit, quip-  
 A. C. 1685. pe jam Rex factus se Catholicum pro-  
 fiteri, eo minus verebatur, quo libe-  
 rius per quatuordecim annos suam re-  
 ligionem occultare noluit, etsi propterea  
 amittendæ coronæ discrimini sese ex-  
 poneret. Tantum in hoc Principe ag-  
 nita fidei veritas prævaluit privato  
 commodo! Eodem hoc Religionis fer-  
 vore accensus, per Patrem Huldesto-  
 num palam testabatur, quod ejus Fra-  
 ter Carolus Rex receptis Ecclesiæ Sa-  
 cramentis in sincera fidei Catholicæ pro-  
 fessione decesserit, eodemque tempore  
 Jacobus II. Rex publici juris fecit duos  
 libellos in quadam arce inclusos, in  
 quibus Carolus Ecclesiæ visibilis atque  
 infallibilis in fidei controversiis Judicis  
 necessitatem demonstratum ibat. Erant  
 hi Codices propria Regis manu descripti,  
 nec vana est conjectatio, Regem eo  
 permotum fuisse tractatu, quem idem  
 Huldestonus sub titulo: *via brevis &  
 facilis perveniendi ad fidem atque Ecclesiam,*  
 jam antea typis ediderat; id saltem  
 omnino certum est, quod Carolus jam  
 ab anno hujus sæculi quinquagesimo  
 primo hunc tractatum tanti habuerit,  
 ut non semel asserere audiretur, se  
 hucusque nihil magis solidum, magis-  
 que convincens legisse, nec se credere,  
 quod veritas ibi contenta refelli posset:  
 Insu-



Insuper Chaffinckius Regii cubiculi factus, tales haud cunctanter testabatur, Carolus Regem in quodam Sacello sepius, secreto tamen, Divino Sacrificio interfuisse.

## §. LXXXIX.

*Protestantium seditio contra Angliæ Regem.*

Hucusque omnes Regni Ordines, Provinciarum & urbes Jacobo novo Regi suo debiti obsequii homagium exsolvere certabant, ipse etiam Rex ac Regina die vigesima tertia Aprilis cum ingenti populi lætitia inaugurabantur: Ut vero Rex Scotos sibi devinctos haberet, datis ad eos literis pollicebatur, se religionem legibus stabilitam, populique libertates pro viribus defensurum contra insultus & machinationes fanaticorum seu Presbyterianorum; ejusmodi enim homicidas & sicarios hucusque nihil eorum prætermisisse, quæ ad turbandam pacem conferrent, se ergo confidere, fore, ut Parlamentum vicissim nihil omissurum sit, quo Regni securitati consuleretur. Enimvero Scotiæ Ordines omne opis, obsequiique genus perdemisse spondebant: non diu tamen hæc tranquillitas tenuit; quippe Jacobus Monmouthus Dux ambitione odium

Sec. XVII.  
A. C. 1685.

Salmon Hist.  
d' Angl. t. 1.  
Hode Hist.  
de Louis  
l. 43. p. 321.

Hist. Eccles. Tom. LXV. Z in-



Sæc. XVII. inflammante unacum Argylo Comite  
A. C. 1685. aliisque Regi infestis in Scotia seditionem conflabat: Hic quamvis sequiorum thoro ex Carolo Rege progenitus esset, Calvinistarum tamen auxilio confusus Regnum affectavit, ac præprimis vicinas Provincias concitaturus, proclamatum calumniis longe atrocissimis scatens ubique divulgavit, in quo Jacobum Regem Londinensis incendii, nuperæ conspirationis, necnon Regicidii insinulans, eum non nisi Papismum, ac Monarchicum regimen invehere intentum, aliunde eum ob religionem ad Regni gubernacula inhabilem, & talem ab utraque Curia declaratum esse exponebat, simulque contestabatur, se duntaxat ad leges, privilegia, & Nationis jura conservanda, Regnumque a Jacobo II. tyrannide & usurpanda auctoritate liberandum arma sumpsisse, ac denique pro decidendo Monmuthi jure liberum convocari Parlamentum petebat. Hoc diplomate parum profecerat Monmuthus; ægre enim ex Puritanis alias tumultuarii assuetis mille quingentos corraferat, nihilominus ab Argylo Comite, qui cum tribus navigiis probe instructis Scotiam Mense Majo invaserat, animatus, die decima quinta Junii Lyona solvit, ac triduo post aucto suorum numero Tautoniam, inde Bristollium  
pro-



progressus, ubique sese in Angliæ Re- Sæc. XVII.  
 gem proclamari jussit, eiquè; qui Ebo- A. C. 1685.  
 racensem Ducem aut vivum aut mor-  
 tuum sisteret, quinque librarum sterlin-  
 garum millia in præmium constituit,  
 & Angliæ Parlamentum tanquam sedi-  
 tiosum, Albemartium vero Ducem velut  
 perduellem declaravit. Interim infau-  
 stum recepit Nuntium, Argylum Co-  
 mitem prope Ellensgrogianam arcem  
 die decima septima Junii fufum, & una-  
 tum suis navigiis captum fuisse: Pro-  
 pterea Rex percepta rebellium excen-  
 sione Atholienfem Ducem cum valido  
 milite contra Monmuthum movere,  
 multosque, qui Londini arma, cetera-  
 que belli munimenta seditiosis ministran-  
 da paraverant, intercipi jussit. Postu-  
 lavit quoque a suis Proceribus, ut de  
 seditiosis & quieti publicæ noxiis homi-  
 nibus decernerent, Majestatisque reos  
 capitali supplicio addicerent. His ta-  
 men nondum absterritus Monmuthus,  
 Bridvateri Regios intercipere tentabat,  
 ast a Fevershamo Comite die sexta Julii  
 cæsus captusque, die decima quinta  
 ejusdem Mensis capite plexus est: pari  
 etiam supplicio Argylus, necnon Rum-  
 boldus pluresque alii jam antea Edim-  
 burgi die undecima Junii promeritas  
 perduellionis pœnas dederunt, quàm-  
 vis Jeffreyus & Kirchius Judices nimia  
 Z 2 feve-



Sæc. XVII. severitate in reos inficio Rege, usi cre-  
 A. C. 1685. derentur.

## §. XC.

*Falsi Catholicorum accusatores sup-  
 plicis affecti.*

*Rapin Thoi-  
 ras Hist.  
 d' Angl. l. 24.  
 Abrege  
 chronolog.  
 t. 13. p. 647.  
 Hode Hist.  
 de Louis  
 XIV. l. 43.  
 pag. 523.*

Postquam Jacobus Angliæ Rex præci-  
 puis rebellionis Antesignanis e me-  
 dio sublatis Regni tranquillitatem redu-  
 xerat, primas eo curas intendit, ut Ca-  
 tholicis quoque libertatem redderet.  
 Hunc in finem Richardo Talbato Comiti  
 negotium dedit, ut plures belli Præfe-  
 ctos intentatæ conjurationis reos in Hi-  
 berna a signis dimitteret, eisque Ca-  
 tholicos subrogaret: necnon Protestan-  
 tes armis, quibus in Monmuthi rebel-  
 lione contra Regem abusi essent, exue-  
 ret: ipse vero Rex in Anglia exerci-  
 tum triginta millibus validum alere con-  
 stituit, atque juramentum, quo Catho-  
 lici a publicis, bellicisque officiis exclu-  
 debantur, ceterasque leges pœnales in  
 eos sancitas remisit, insuper frequenter  
 cum Sacerdotibus Catholicis versatus,  
 crebras ad Papam literas dedit, & Je-  
 suitis Palatium, ut ibi Collegium eri-  
 gerent, Londini cessit, ejusque Socie-  
 tatis, Anglis tantopere exosæ, Viro no-  
 mine Petreo, quem a confessionibus ha-  
 buit, haud infimum in Senatu locum  
 asse-



afferuit, missoque Romam Oratore pro Sæc. XVII.  
 hoc Jesuita Archiepiscopatum Eboracensem simulque Romanam Purpuram A. C. 1685.  
 sollicitavit. Denique cunctos suos sub-  
 ditos sensim ad Catholicæ fidei profes-  
 sionem saltem externam reducere sta-  
 tuit: Arguebatur tamen, quod non ea  
 usus sit circumspectione, quam tanti  
 operis gravitas deposceret; res enim  
 ipsi erat cum Anglis, qui Regem suum  
 e folio deturbare assueti erant, quam-  
 primum ab eo conscientia libertatem,  
 sibi adimi cernerent, aut suspicarentur:  
 prævalebant etiam tam numero, quam  
 potentia & protervia Protestantes in An-  
 glia & Scotia: Jacobum quoque Regem  
 ab aperta & tam præfestina hujus pro-  
 positi executione absterrere, debuissent  
 funesta exempla Eduardi II. & Richar-  
 di II. ac præcipue Caroli I. Patris sui,  
 cujus vitam, & honorem in ferali peg-  
 mate Protestantes fanatico sectæ liber-  
 tatisque Zelo unice ideo immolabant,  
 quia nonnisi suspensionem introducendæ  
 Religionis de eo habebant, aut habere  
 simulabant: Fertur quoque, Carolum II.  
 morbi proximum admonuisse Fratrem  
 suum Jacobum, ne præcipiti fervore sta-  
 bilitam in Regno religionem immutare  
 vellet, eo quod rem periculis plenam,  
 & executione difficillimam aggredere-  
 tur: Petrus etiam Ronquillus Hispaniæ  
 Z 3 Ora-



Sæc. XVII. Orator Jacobo suggererat, ne Sacerdotes Catholicos tanto numero ad Aulam accerferet, eoquod eum absdubio nimix hujus confidentiæ poenitentia, feralicet, subitura sit: quinimo ipsemet Innocentius XI. Papa in literis ad Jacobum Regem datis eum hortabatur, ut suum propagandæ Religionis studium moderaretur, ne fidei incrementum, propriamque gloriã intempestive promovendo, suis, ac Ecclesiæ rebus extremum inferret exitium: Verum nec Pontificis monita, nec Prædecessorum exempla nec prævisa vitæ honorisque pericula ejus ardorem temperare poterant. Eodem hoc Zelo animatus, in eos, qui conficta conjuratione ante octennium Catholicos inhumanæ lanienæ impune exposuerant, inquiri iussit. Præprimis igitur Titus Oates bipedum nequissimus, qui quamplurimos non modo Catholicos, sed & Protestantes falsa sua accusatione e medio sustulit, perjurii, perduellionis, fraudis, aliorumque scelerum reus plusquam sexaginta etiam Protestantium testimonio, postulabatur, quapropter Judicium sententia præter multam pecuniariam sæpius ad infamem palum deligatus, populi ludibrio exponebatur, ac bis per urbis vicos & compita a carnifice vitigis cæsus, perpetuo addicebatur carceri.



ceri, adjecta etiam pœna, ut quotan- Sæc. XVII.  
 nis die vigesima quarta Aprilis & nona A. C. 1685.  
 Augusti rursus pali infamiam sustineret.  
 Eadem probrosa pœna correptus est  
 Thomas Dangerfield, & Pranceus Au-  
 rifaber, qui Godefroyum Judicem a Ca-  
 tholicis fuisse occisum, falso deposue-  
 rat, crimen tamen suum fassus erat,  
 pluresque alii, qui variis suppliciis sce-  
 lerum suorum atrocitatem eluerunt. E-  
 contrario Rex ex Parlamenti sententia  
 quinque illos Proceres, qui de conjura-  
 tione falso accusati tamdiu capti in Lon-  
 dinensi turri contabuere, libertati, pri-  
 stinisque honoribus restituit, necnon  
 Staffordiæ Comitem, qui ante quinquen-  
 nium ob perduellionis crimen inique im-  
 putatum capite plectebatur, innocen-  
 tem fuisse, declarari iussit. Insuper an-  
 nuente plebæi Ordinis Senatu cunctos  
 belli Præfectos religione Catholicos a  
 pœnis antea in eos statutis exemit, eos-  
 que ad merenda belli stipendia habiles  
 declaravit, quin juramentum, quod  
 Puritani contra Catholicos excogitave-  
 rant, præstare tenerentur. Verum ex  
 hac ipsa indulgentia, ac Religionis Ca-  
 tholicæ studio Jacobus Rex sibi Purita-  
 norum invidiam, gravissimas calami-  
 tates, suæque dignitatis, honorisque  
 jacturam accersivit, prout postea me-  
 morabimus.



Sæc. XVII.  
A. C. 1685.

## §. XCI.

*Prædicantium Anglicorum motus contra Catholicos.*

Postquam Catholici in Anglia fidei sacre puritatem adversus Prædicantium calumnias vindicare intenti, librum sub titulo: *Catholica Romana fides male representata*, typis vulgaverant, mox Prædicantes Angli, atque inter eos præcipue Tillotsonus & Stillingsfletus de pinguedine sua & uxoribus actum rati, si ab avitæ Religionis lumine, falso impectæ errorum tenebræ abducerentur, hunc librum refellere, totis viribus adlaborabant, ipsum quoque Scherlocum impulerunt, ut coram plebæi Ordinis Senatu die vigesima nona Maij concionatus hæc effutiret: Non nego, aliquos Papistas aliquando fuisse, & esse posse bonos cives: ast certus sum, Papisticam religionem subditorum fidelitatem non docere. Anglus esse queat fidelis civis, non Papista, utique certi esse non possumus de eorum fidelitate, quorum Religio quodam casu docet rebellionem.

Tam effrons calumnia vehementer pupugit Catholicos, qui illico scriptam ediderunt apologiam, in qua ab ejusmodi calumniatoribus ad utrumque Parlamentum provocarunt, inter alia pa-  
lam



lam contestati, suam religionem istius-Sæc. XVII.  
 modi doctrinam non docere, seque pa- A. C. 1685.  
 ratos esse omnem civicam fidelitatem  
 Superioribus præstare, etiam cum vitæ,  
 fortunarumque jactura. Fuisse sane, con-  
 fitebantur, nonnullos in Romana com-  
 munionē, qui contraria juramentis fi-  
 delitatis, regibus præstandæ, scripsis-  
 sent, sed eorum libros publice flammis  
 fuisse exustos, & catholicos sæpius, cædes  
 Regum ob hæresin excommunicatorum  
 damnandas esse, uti adversas Dei &  
 naturæ legibus, docuisse. Quin &  
 agnoscere catholicos, quod Papa non  
 habeat directam, aut indirectam in Re-  
 gna, aut Principum jurisdictiones po-  
 testatem, sic quidem ut vana foret di-  
 spensatio, qua subditi juramento fide-  
 litatis absolventur.

Nondum tamen his obstructa erant  
 ora Prædicantium, qui suorum numero,  
 & potentia, proin impunitate freti die  
 sexta Julii binas Concionis, quam Scher-  
 locus habuit, vindicias divulgavit,  
 quibus tamen Catholici scriptum apo-  
 logeticum opposuere, demonstrantes,  
 quod Ecclesia Romana, si semel ab omni  
 errore fuit immunis, non potuerit defi-  
 cere, nisi per apostasiam, hæresin, vel  
 schisma, cum ergo nunquam ejusmodi  
 criminum convinci potuerit, sed sem-  
 per eadem, quæ olim fuit, manserit,



Sæc. XVII. Anglicana Ecclesia schismatis rea erit:  
A. C. 1685. insuper anno sequenti in Regia Typo-  
 graphia excusas sexdecim theses publici  
 juris fecerant, a Calvinistis postulantes,  
 ut singulas claris sacræ Scripturæ testi-  
 moniis & verbis probarent: his pariter  
 addiderunt libellum hujus tituli:  
*schismatis Donatistici & Protestantici Par-*  
*allelismus*, ubi demonstratum ibant, quod  
 sicut olim Donatistæ, ita & nunc Pro-  
 testantes in Anglia ordinent contra Ec-  
 clesiam Episcopos, altaria erigant, om-  
 nes Ecclesias apostasiæ accusent, cum  
 nullis aliis in religione communicent,  
 in causis Ecclesiasticis ab Ecclesiæ sen-  
 tentia ad laicum Principem appellent,  
 etsi interea Symbolum, aliqua Sacra-  
 menta, liturgias, festa solemnia alia-  
 que retineant, nihilominus ex S. Au-  
 gustini sententia pro schismaticis haberi  
 di. Porro præfatæ theses erant sequen-  
 tes:

I. Scriptura est clara in necessariis  
 ad Salutem, cuicumque eam sobrie  
 scrutanti.

II. Sæcularis Princeps habet Spiri-  
 tualem jurisdictionem, & autoritatem  
 immediate sub & a Deo.

III. Justificatio per solam fidem (quæ  
 est persuasio, quod sis justificatus) sana  
 doctrina est.

IV.



IV. Substantia panis, & Vini remanent post Consecrationem. Sæc. XVII.  
A. C. 1685.

V. Præsentia Domini in & cum Sacramento, solum in influxu gratiæ consistit, & tantum ad fideles pertinet.

VI. Adoratio Sacramenti (id est Salvatoris sub speciebus panis & vini) est Idololatria.

VII. Christianus, quando communicat, debet recipere duas species.

VIII. Votum Castitatis absque culpa potest violari.

IX. Christiana perfectio omnibus est præcepta.

X. Quælibet anima statim post mortem defertur vel in Cælum, vel in Infernum.

XI. Petitiones intercessionum in Cælis Beatorum magis superstitiosæ sunt, & adversæ mediatorio Christi officio, quam petitiones precum Sanctorum in Ecclesia militante.

XII. Veneratio Crucis, Reliquiarum, Imaginum Christi, & Sanctorum (eo honoris gradu, quo prosequimur Evangelia, ea osculantes, & per ea jurantes) præterea Altarium, & cæterorum Sacrorum utensilia, est Idololatria.

XIII. Papa est Antichristus.

XIV. Omnes Preces, & sacræ Liturgiæ debent fieri ea lingua, quæ vulgaris est, & intelligenda cuicumque auditori.

XV.



Sæc. XVII. XV. Societas Christianorum voluntarie se separantium ab aliis Christianis Societatibus, earumque Doctrinam & ritus condemnans, & destituta Visibili Communione cum illis in Eucharistia, sacris cætibus, & publicis devotionibus, esse potest, non obstante ista separatione, mysticum Christi membrum in Communione Catholica, & pars Catholicæ Ecclesiæ.

XVI. Totius Ecclesiæ Catholicæ Clerus potest deficere a fundamento fidei & Sanctitatis, quando interea laici in hac vel illa natione illud servant, detegunt Clericorum Apostasiam, eos ministerio privant, assumentes sibi Doctores, qui nullam aliam habent vocationem, aut missionem.

## §. XCII.

*P. Paschasius Quesnellus e Galliis Bruxellas profugus.*

*Vid. supra l. 207. §. 76. p. 225. t. 64. Lettr. Theol. & Hist. sur le Jansf. pag. 129.* Postquam in comitiis Oratorii Beruliani ante triennium omnibus eisdem Congregationis Sacerdotibus iunctum fuerat, ut edicto subscriberent, vi cuius in scholis suis Jansenismum a Pontificibus damnatum ac rejectum rejicerent, præter alios P. Paschasius Quesnellus vehementius reclamabat, subscribere recusans, eoquod hoc edictum



ctum metu extortum, atque *adnitente* Sæc. XVII.  
A. C. 1685  
*præpotenti Viro*, scilicet Archiepiscopo  
 Parisiensi, necnon adlaborantibus ali-  
 quot Molinisticæ doctrinæ affeclis, at-  
 que ignave cedentibus Congregationis  
 Superioribus conscriptum fuisset, aliunde  
 vero Jansenii factum in hoc statuto  
 inclusum hæresin nuperrime ex præ-  
 dicto facto enatam includat, eaque sum-  
 mo Pontifici etiam in factis non revela-  
 tis parem cum Christo infallibilitatem  
 tribuat: cum autem non modo Super-  
 iorum edicta, sed & Franciæ Regis  
 mandata Quesnellum urgerent, ut suo  
 etiam chirographo formulam muniret,  
 ejusque doctrinam amplecteretur, se  
 ad eam necessitatem adactum cernebat,  
 ut vel obtemperaret, vel quasi Regio  
 mandato rebellis e Congregatione pul-  
 sus, ad extremos Regni limites ablegaretur:  
 utrique autem necessitati se subducturus,  
 spretis sui Præpositi, necnon P. Bahieri  
 aliorumque monitis, postquam a Parisiensi  
 domo Aureliam ad Ligerim secedere compul-  
 sus erat, clam die decima septima Februarii  
 in Belgium profugit, ac tandem die vige-  
 sima quinta ejusdem Mensis Bruxelas  
 delatus, in humili domuncula, quæ in ab-  
 dito viculo sita erat, unacum Arnaldo  
 delituit, ubi ex tenebricoso hoc loco  
 plurima in erroris sui defensionem



Sæc. XVII. fionem scripta in lucem dedit, ac tur-  
A. C. 1685. bido prorsus spiritu sese erigens, Pari-  
 siensem Archiepiscopum, suos Superio-  
 res, totiusque Congregationis Gene-  
 ralem crebris injuriarum aculeis pro-  
 fcidit: nec his contentus, Presbyteros  
 etiam adversus Episcopos subs commo-  
 vit, Clerumque Batavicum contra sum-  
 mum Pontificem incitans, totum Bel-  
 gium Catholicum, vicinasque Provin-  
 cias jurgiis, dissensionibus, gravissi-  
 misque turbis involvit: ut autem bella  
 ista, & diffidorum semina tempestive  
 supprimerentur, Alphonsus de Berghes  
 Mechliniensis Archiepiscopus hoc anno  
 die vigesima septima Octobris seu nono  
 Mense post Quesnelli adventum decre-  
 tum edidit, quo ejusmodi pacis per-  
 turbatoribus, ac jurgiorum Authoribus  
 exilii poena severe intentata est.

## §. XCIII.

*Censura Facultatis Theologicæ Louvā-  
 niensis in propositiones Ægidii  
 de Witte.*

*Acta erud.  
 Lips. 1705.  
 pag. 421.*

Inter amicos, quorum consortio & opæ  
 Quesnellus utebatur, haud infimus  
 erat Ægidius de Witte Decanus ad B.  
 Virginem trans Dillam Mechliniæ, qui  
 sub latino nomine *Candidi* librum edi-  
 dit, in quo Quesnelli opiniones liberius  
 pro-



propugnabat: inde vero cum graves Sæc. XVII. A. C. 1685.  
 excitarentur turbæ, Facultas Theolo-  
 gica Lovaniensis præfatum librum di-  
 scutere, ac circa quatuor propositiones  
 inde extractas iudicium suum ferre, a  
 Sedis Apostolicæ Nuntio jubebatur.  
 Hæc igitur re mature ac sæpius discuf-  
 sa tandem die tertia Novembris hanc  
 pronuntiavit censuram.

*Propositio I.* Concilium est supra  
 Papam.

*Censura:* Non videtur Censura, fal-  
 tem gravi digna, attento, quod diversi  
 Catholici eam doceant: interim in scho-  
 la nostra nunquam nisi oppositum su-  
 stinuimus.

*Propositio II.* Papam non esse nisi  
 primum Episcopum, nec ei competere  
 inter Episcopos majorem potestatem vel  
 prærogativam, quam eam, quæ com-  
 petit, exempli gratia, Plebano, sive  
 Pastori S. Romualdi respectu aliorum  
 pastorum parochialium ejusdem civita-  
 tis, & eadem, quæ competit primo  
 Scabino civitatis Gandavensis, sive a-  
 liarum civitatum respectu aliorum po-  
 steriorum Scabinorum.

*Censura:* Judicamus eam censurari  
 posse uti scandalosam, & perniciosam.

*Propositio III.* Ad hoc, quod aliquis  
 ei opponeret, Archiepiscopos, & alios  
 Episcopos in publicis literis solere di-  
 cere,



Sæc. XVII. cere, se esse Dei, & Apostolicæ Sedis  
A. C. 1685. gratia tales, respondit esse abusum,  
 & errorem a quingentis circiter annis  
 introductum, nec primis decem Sæcu-  
 lis Episcopos tali modo fuisse locutos,  
 sed dum rem agendam haberent cum  
 Papa sive Episcopo Romano, eum sim-  
 pliciter nominasse Confratrem, non au-  
 tem Papam vel Pontificem, adducendo  
 in probationem sui dicti, Jacobum præ-  
 sedisse in confessu Apostolorum, non  
 Petrum, quia hic confessus celebraba-  
 tur in diæcesi Jacobi.

*Censura:* Cum judicamus Archiepi-  
 scopos, Episcopos, Dei & Apostolicæ  
 Sedis gratia esse & fuisse tales, ante-  
 quam in literis suis hoc dicerent, ju-  
 dicamus temerarium esse formulam il-  
 lam erroris & abusus accusare: Si au-  
 tem, ut justificatio habet, solum novi-  
 tatis formula illa taxata sit, etsi non  
 falsum, tamen male sonans est, & quan-  
 tum ad exemplum Jacobi præsentis  
 in sua diæcesi præsentis Petro, quate-  
 nus per hoc insinuari videtur Petrum  
 non fuisse supra Jacobum, saltem in  
 diæcesi Jacobi, & sic innuitur tacite  
 Papam non esse supra Episcopos in diæ-  
 cesi ipsorum, erroneum est. In motivo  
 tamen Juris, seu defensione sua, vide-  
 tur negare se id dixisse; attento, quod  
 dicat



dicat fieri posse, ut Petrus in confessu illo primatus suo juri cesserit. Sæc. XVII.  
A. C. 1685.

*Propositio IV.* Dicitur Christi, tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, solum fuit dictum Petro personaliter, non in illo Successoribus suis.

*Censura:* Si ita intelligatur, ut potestas Clavium Petro a Christo Matth. 16. promissa & postmodum data, negetur successoribus concessa, censemus posse, ut hæreticam censurari.

Quamvis autem summus Pontifex, & Rex Catholicus hunc Decanum, ejusque Doctrinam atro calculo notarint, & Facultas ejus propositiones perstrinxerit, nihilominus tamen in defensionem præfati Ægidii plura prodire scripta, quæ Apostolicum Belgii Nuntium, & Steyaertium Buscodunensem Vicarium virulentis proscindebant calumniis, simulque Theologis doctrinam Pontificibus injuriam intillabant.

§. XCIV.

*Cæsareo - Bavari exercitus victoria contra Turcas.*

Infausto Budensis obsidionis successu Cæsaris copix adeo attenuatæ fuerant, ut novis delectibus, ac stipendiario Principum milite vix non de integro *Gottfrid cont. Hist. Chron. l. II.*

*Hist. Eccles. Tom. LXX. Aa tegro*



Sæc. XVII. tegro restituendæ essent: brevi tamen  
A. C. 1685. Maximiliani Emanuelis Bavari Electo-  
 ris, ac Hanoverani & Brunsvico-Lu-  
 neburgensium Ducum, aliorumque Im-  
 perii Principum auxiliis exercitus ad  
 sexaginta bellatorum millia excreverat:  
 nec deerant annonæ & pecuniarum  
 suppetiæ; quippe præter Selepseni Stiri-  
 gonienfis Archiepiscopi, atque Emerici  
 Viennensis Præsulis bona testamento  
 relicta; Austriæ Ordines, & Salisbur-  
 gensis Archipræsul in hanc expeditio-  
 nem suas opes profudere, præcipue  
 vero Innocentius Papa ex Ecclesiasti-  
 corum bonis tertium denarium exigendi  
 facultatem concessit, præter ter cen-  
 ties mille florenos ex ærario Pontificio,  
 & undecies centum millia ex Hispania.  
 Interim vero Heisterus, Herbersteinus,  
 Palfius alique Belliduces Cæsarei Tur-  
 cas in Hungaria tam multiplici clade  
 protriverant, ut Sultanus pacem exor-  
 raret, & Töckelium utpote præcipuum  
 hujus belli auctorem Cæsari traditurum  
 se sponderet: repulsam tamen tulit;  
 haud enim incognitum erat, pacis ne-  
 gotiatione pro reparandis viribus spa-  
 tium quæri: quapropter Carolus Lo-  
 tharingiæ Dux die decima septima Julii  
 Vivarinum urbem a Cæsareis tota hye-  
 me arctius cinctam expugnare statuit:  
 incredibili tamen pertinacia obstetit  
 Tur



Turcicus Gubernator, qui partim la- Sæc. XVII.  
 quei comminatione territus, partim A. C. 1685.  
 liberandæ urbis spe erectus, cunctas  
 deditiois leges rejecit, & Christiano-  
 rum virtutem plurimorum clade mul-  
 stavit: postquam vero Baviaræ Elector,  
 qui paulo ante Antoniam Leopoldi Im-  
 peratoris filiam Viennæ conjugem duxe-  
 rat, Lotharingio junctus cum suis co-  
 piis die septimâ Augusti Turcas in ob-  
 sessæ Urbis subsidium magno numero  
 accurrentes repulerat: Caprara vero ad  
 oppugnationem pene confectam relictus,  
 decretoria aggressione urbem tentavit,  
 eamque decima nona ejusdem Mensis  
 die superatis mænibus ingressus est, ubi  
 victor miles nullo sexus, ætatisque di-  
 scrimine obvios quosque tam acri ac  
 promiscuo interitu delevit, ut non nisi  
 duo Bassæ, ac quadringenti infantes &  
 mulieres in Moschæa latitantes mor-  
 tem effugerent. Jam antea die trige-  
 sima Julii Seraskierus, ut vicem repen-  
 deret, cum sexaginta Turcarum milli-  
 bus Strigonium obsederat, a Strassero  
 Gubernatore tam ruditer exceptus, ut  
 inter alpes, paludes & Danubii ripam  
 ad castra natura & arte munitissima sese  
 recipere cogeretur. Hostem loci firmi-  
 tate insuperabilem aggredi, temerarium,  
 otiose ibidem consistere, indecorum  
 censuit Lotharingius: quapropter astu,  
 Aa 2                      simu-



Sæc. XVII. simulatoque metu hostem ex munitissimis suis castris in alteram paludis ripam, locumque magis iniquum prolicere statuit, huncque in finem die decima quinta Augusti præmissis impedimentis, atque Equitatus parte nocte castra moveri jubet, ac fugienti similior cum peditatu sequitur: mox ergo Seraskierus summa celeritate numerosum Turcarum agmen immittit, certæque victoriæ fiducia audaciam aciente, sinistram alam tanto impetu premit, ut confusis ordinibus fuga fuisset aperta, nisi submissis ex dextro cornu suppetiis roborata iter suum impune prosequi potuisset: Demum illucescente aurora Seraskierus horrifico clamore, velut victoriæ augurio, pugnam auspiciatur, nec segniore tamen Christiani pedetentim clausis ordinibus gradum promovent, effusaque conferta telorum, ac glandium tempestate ingentem Turcarum stragem edunt: hi vicissim nudatis frameis in Bavaro-Cæsareos incitatissimo feruntur impetu, suorum tamen cadaveribus territi, extincto primæ impressionis ardore sese recipiunt: mox a Seraskiero collecti, ac Janissarorum cohorte aucti, dextræ alæ latera perrupissent, nisi Dunewaldus accurrens, recentem militem velut inexpugnabilem murum objecisset; ceteris etiam



etiam partibus tam strenue dimicanti- Sæc. XVII.  
 bus, ut nusquam hiaret acies; tandem A. C. 1685.  
 vero Turcæ nostrorum constantia fracti,  
 incompoti ac palantes ad suos retro-  
 cessere: Pari fortuna in sinistro cornu  
 dimicatum, Turcisque in fugam actis  
 ter mille aut ferro jugulati, aut pro-  
 fundo paludum limo suffocati periere,  
 reliquis sese ad castra recipientibus,  
 quibus tamen inde a Lotharingio repul-  
 sis, captoque Novigrado, ingens præ-  
 da, & castra hostibus vacua victoribus  
 cessere. Altera die ante Lotharingii,  
 & Baviaræ Ducis tentoria in castris  
 solemnnes Deo reddebantur grates. Pau-  
 lopost Lotharingio nuntiatum, Epere-  
 sium Schulzio, & decima quinta Octo-  
 bris Cassoviam Capraræ, & Zolnoki-  
 num Heistero Cæsareæ militiæ Præfe-  
 ctis deditum, Canisæ etiam suburbia  
 a Leslæo cum omni frumento combusta,  
 & Essékium urbem exusto ponte dire-  
 ptam, totamque, qua late patet, Pa-  
 noniam Superiorem fuisse subactam.

§. XCV.

*Tockelius a Turcis in carceres  
 coniectus.*

Nec minus prospera belli fortuna Ve- Wagner hist.  
 netorum armis adspirabat, post- Leop. l. 9.  
 quam enim Morosino Ductore Turcas Theatr. Eu-  
 terra rop. t. 12.

Aa 3



Sæc. XVII  
 A.C. 1685. terra marique profligaverant, toto impetu in urbem Coronam penetrarunt, ubi non cædibus, non præcipitiis, non ratati, non formæ sexuque parcentes, ut quemque de Barbaris casus & fors in victorum manus dederat, cuicunque neci tradiderunt. Postea victoriarum cursum profecuti, Chium urbem quaerere cæperunt, ac tribus Turcicis navibus in fundum demersis, captoque Bassa hostilem exercitum in fugam egerunt, plurimasque urbes subjugarunt. Tot igitur cladibus fracti Turcæ, iterato pacem dedito Töckelii capite redimere tentabant: cum enim rebellis hic Princeps amissis ferme omnibus suis prædiis incassum a Polono Rege auxilia petiisset, ac pretiosior ejus thesauri pars unacum sexdecim florenorum millibus a Zatmariensibus Hussaris intercepta fuisset, in ultimo rerum suarum discrimine validas armorum suppetias a Turcarum Bassis emendicare cogebatur. Præprimis igitur unacum Petrozzio Legato ad magni Varadini Bassam profectus, facta validissimi auxilii pollicitatione ab eodem ad ejus Palatium cum suorum Primoribus venire rogatur, ita tamen, ut ceteros ad sua reverri juberet, eoquod Varadinensis, quæ cum ipso communicaret, arcana haberet: Ubi vero Töckelius doli ignarus, arcem subie-



subierat, mox sublato a tergo porte ad Sæc. XVII. A. C. 1685.  
 Bassam adductus, inter Turcarum ca-  
 chinos catenis onerari iubetur, ad Sul-  
 tanum trahendus, ut suorum criminum  
 rationem redderet. Tam inexpectata  
 calamitate obrutus, defensionis loco  
 in muta erupit suspiria, atque in tetrum  
 carcerem coniectus, paulopost vili ad  
 ludibrium curru, vinculis gravatus ac  
 centum Janissaris circumdatus, ab Er-  
 lavix Bassa Adrianopolim raptatus est.  
 Petrozcius vero Turcicis copiis auctus  
 Cassoviam liberare, a Bassa jubebatur,  
 qui tamen tantam perfidiam execrans,  
 obtenta delictorum venia ad Cæsaris  
 partes reversus est, cujus exemplum  
 quamplurimi rebelles secuti sunt.

§. XCVI.

*Hieronymi Grimaldi Cardinalis  
 obitus.*

Ex Purpuratorum Collegio hoc anno Mem. de Retz t. 3. pag. 378. Balance des Card. p. 190.  
 extremum obiit diem Hieronymus  
 Grimaldus Nobilis Genuensis, qui a  
 puero humanioribus literis, Philoso-  
 phicis ac Theologicis disciplinis egregie  
 instructus, Cæsaris stipendia merebat,  
 deposito autem palteo sacræ militiæ  
 nomen dedit, atque in Jurisprudentia  
 laureatus, Romam se contulit, ubi a  
 Gregorio XV. primo utriusque Signa-  
 turæ

Aa 4

turæ



Sæc. XVII. turæ Referendarius, ab Urbano VIII.  
A. C. 1685. Prolegatus, Urbis Prætor ac demum  
 Seleuciensis Archiepiscopus renuntiabitur, qua dignitate illustris ad Ferdinandum II. Cæsarem Nuntius Viennam & postea ad Ludovicum XIII. Regem in Gallias decretus est; inde Romanus redux, ad regendum Perusium & Urbini Ducatum electus, Romanam Purpuram obtinuit. simulque Aprumacensem Ecclesiam aliquamdiu administravit: ubique autem tantam prudentiam, probitatem, rerumque gerendarum dexteritatem exhibuit, ut tam Romæ, quam in Galliis eidem gravissima Ecclesiæ Regnique negotia committerentur; unde in laboris præmium Abbas sancti Florentii prope Salmurum, necnon Archiepiscopus Aquensis Ludovici XIV. Franciæ Regis nominatione renuntiatus est. Defunctis etiam Innocentio X. & Clemente X. ab Hispanæ partis Cardinalibus in supremum Ecclesiæ Caput expetebatur, ast fortuna meritis haud respondente, tandem Aquis nonagenarius decessit. Scripsit Constitutiones Synodales, plurima Epistolarum volumina, præter Henrici IV. Galliarum Regis vitam ex Italico idiomate latine redditam.



## §. XCVII. 1

*Ludovici Homodæi Cardinalis  
decessus.*Sæc. XVII.  
A. C. 1685.

Eundem annum vitæ suæ exitialem Ciacon. vit. Innoc. X. tom. 4. Cornaro relat. p. 76.  
habuit Ludovicus Homodæus Ca-  
roli Marchionis de Piopera Filius, Me-  
diolani natus, qui in patria sua Gram-  
maticæ, Politioribus vero literis Par-  
mæ tanto profectu operam navabat, ut  
nondum ætate maturus jamjam carmi-  
na sat erudita typis ederet: postea vi-  
ginti annorum adolescens Philosophiæ,  
& utriusque Jurisprudentiæ amplissima  
spatia transvolans, teneram adhuc,  
atque severioribus disciplinis minus  
aptam ætatem, ingenii maturitate præ-  
cucurrit, Doctoratus laurea decoratus.  
Romam delatus Protonotarii Apostolici,  
ac Clerici Pontificii honores adeptus,  
regnante Urbano VIII. pluribus Purpu-  
ratorum cætibus adscriptus est. Cum  
autem ob justitiæ amorem, morum  
comitatem, prudentiam, aliasque e-  
gregias animi dotes Innocentio X. per-  
carus esset, ab eodem Cardinalis, at-  
que Archiepiscopus Mediolanensis no-  
minatus est, quam tamen Ecclesiam  
postea Alphonso Littæ cesserat, ab Ale-  
xandro VII. in Urbinatensem Apostolicæ  
Sedis Legatum renuntiatus, qua in

Aa 5

Pro-



Sæc. XVII. Provincia non sibi, sed commisso populo deservivit, ibidemque hoc anno A. C. 1685 non sine maximo omnium luctu mortalitatem exiit.

## §. XCVIII.

*Hieronymi Guastaldi Cardinalis extrema.*

*Palat. fast.  
tom. 4.*

Postremus Hieronymus Guastaldus hoc anno ex Purpuratis naturæ debitum solvit. Hic exiguæ fortunæ Parentibus Tabiæ Genuensis Reipublicæ oppido natus, generis sui obscuritatem ingenii ac literarum præstantia illustravit: Romam delatus cuidam Advocato, ac postea Costagutio Marchioni a servitiis humilioribus erat, hujus tamen fautoris sui patrociniis promotus, Neapoli Nuntio Apostolico tam præclara præstitit obsequia, ut Cameræ Clericus, ac demum thesauri Pontificii Præfectus nominaretur: quo tamen in munere minus integer, multum avarus, vaserque credebatur, cumque inveniusta insuper facie esset, Innocentius X. eum ad Purpuram Romanam evehere constanter renuebat, quam tamen Anno Christi millesimo sexcentesimo septuagesimo tertio a Clemente X. obtinuit, unacum Bononiensi Legatione, qua durante multis probris oneratus, tandem



dem Romam reversus, ex tædio con-  
tabuit.

Sæc. XVII.  
A. C. 1685.

§. XCIX.

*Innocentii XI. Pontificis Constitutio-  
nes Apostolicæ.*

Hoc item anno Innocentius XI. Pon-  
tifex Maximus edita Constitutione  
die nona Februarii declaravit, Clericos  
Regulares in commune viventes esse  
capaces omnium beneficiorum, & ad  
titulum communitatis ordinari posse:  
statuit etiam, ut Moniales in Mona-  
stera intrusæ, si nondum vigesimum  
quintum ætatis annum compleverint,  
inde egredi possint: concessit etiam Leo-  
poldo Imperatori, ut ad ferendas belli  
Turcici expensas ex bonis, quæ ab  
Ecclesiasticis sexaginta abhinc annis  
acquisita fuissent, tertiam partem col-  
ligere valeat. Denique Abbati de Dön-  
hof Poloniæ Oratori pinquia tribuit  
beneficia, ut eo efficacius Regem suum  
ad arma Turcis inferenda induceret.

*Bullar.  
magn. Const.  
Innoc. XI.*

§. C.

*Sacrarum Congregationum De-  
cisiones.*

Præter quamplurimas Sacrarum Con-  
gregationum Decisiones die decima  
tertia Januarii hujus anni sacra Concilii  
Con-

*Const. S. Con-  
greg. Rit.  
Concii. &c.*



Sæc. XVII. Congregatio declaravit, quod celebra-  
A. C. 1685. tio Missæ Solemnis in feria quinta Cœ-  
 næ Domini sit functio Parochialis, proin  
 Vicarius Ecclesiæ existentis intra fines  
 Parochiæ illam ea die canere non va-  
 leat. Eadem quoque Congregatio die  
 trigesima prima Martii decidit, quod  
 quoties vigore facultatis obtentæ, Mis-  
 sarum numerus reduci debeat, toties  
 quoties fiat reductio ob diminutionem,  
 vel deperditionem reddituum & fructuum  
 Dotis in fundatione assignatæ, semper  
 sit facienda ad manualementem elemo-  
 sinam, habita ratione ad utensilia neces-  
 saria pro celebratione, non vero regu-  
 landa sit juxta taxam forte præscriptam  
 pro fundationibus in Synodo. Denique  
 die decima quinta Septembris sacra  
 Rituum Congregatio statuit, ut si fe-  
 stum SS. Nominis B. V. occurrerit in  
 die octava Nativitatis ejusdem Virginis,  
 officium celebretur de SS. Nomine, o-  
 missa in utrisque Vesperis & laudibus  
 commemoratione de prædicta die  
 octava Nativitatis.

## §. CI.

*Scriptorum religione Catholicorum  
 opera & obitus.*

*Dupin Bibl. Plures ex Scriptoribus Catholicis hoc  
 nouv. des anno mortalitatem exuerunt, quo-  
 Auth. Cerf rum  
 Bibl. des*



rum primus erat Lucas d'Acherius Sæc. XVII.  
 Benedictinus Congregationis S. Mauri, A. C. 1685.  
 qui a probis ob singularem pietatem, Auth. 1 de  
 & a doctis propter vastissimam eruditio- la Congr.  
 nem plurimi habitus, edidit Catalo- pag. I.  
 gum operum Asceticorum, opera B.  
 Lanfranci, Chronicon Beccense, vi-  
 tam B. Halluini & quatuor primorum  
 Abbatum Beccensium, vitam S. Au-  
 gustini Anglorum Apostoli, duos tra-  
 ctatus de Eucharistia contra Berenga-  
 rium, commentarium in epistolas D.  
 Pauli, opera Venerabilis Guiberti No-  
 nigentani Abbatis, Regulam Solitario-  
 rum, epistolam S. Barnabæ, ac deni-  
 que tomos tredecim sui Spicilegii ve-  
 terum Scriptorum, opus fane egregia-  
 rum observandarumque rerum varie-  
 tate jucundissimum longe ac celeberrimum,  
 in quo habent sua Theologi,  
 habent Canonistæ, habent & illi, quos  
 Historiæ juvant. Censent nonnulli,  
 antiquas lectiones Henrici Canisii, quas  
 Steuvarcius profecutus est, Acherio ad  
 colligendos diversos hosce tractatus  
 ansam dedisse. Collegit etiam pluri-  
 ma monumenta pro actis Sanctorum  
 Ord. S. P. Benedicti, quæ P. Mabillo-  
 nius postea typis vulgavit: obiit tan-  
 dem d'Acherius Parisiis in Abbatia S.  
 Germani de Pratis die decima sexta  
 Aprilis annos natus septuaginta octo.  
 Il. Lu-



Sæc. XVII. II. Ludovicus Gabriel Brossé ex eadem  
A. C. 1685. Congregatione, scripsit vitas S. Euphro-  
 sinæ, & S. Margarithæ, triumphum  
 gratiæ super naturam in vita ejusdem  
 S. Euphrosinæ, Mausolæa Regum Fran-  
 ciæ usque ad Ludovicum XIII. & Hym-  
 nos varios. III. Joannes Cabassutius  
 Oratorii Presbyter, qui impellente Gri-  
 maldo Cardinale vulgavit Notitiam Hi-  
 storix Ecclesiasticæ de Conciliis & Ca-  
 nonibus, necnon Theoriam & Praxin  
 juris Canonici &c. tractatum de usuris  
 & quasdam decisiones diversarum quæ-  
 stionum sub titulo: *Horæ subcessivæ*. De-  
 cessit Aquis die vigesima quinta Se-  
 ptembris anno ætatis octogesimo pri-  
 mo. IV. Victor Siri Monachus prælo  
 subjecit notitias arcanas ab Anno 1601.  
 usque ad annum 1640. quod opus sub  
 titulo: *Mercurius* usque ad annum 1655.  
 profecutus est; videtur tamen, quod  
 ejus calamus fuerit plus offerenti venæ-  
 lis, quapropter de eo passim dictum,  
 ipsum minus historicum, quam merce-  
 narium fuisse, liberius etiam in Tomo  
 III. ut Ducem Parmensem extolleret,  
 Urbanum VIII. insectatus est. Affer-  
 vatur etiam in Bibliotheca Magni  
 Etruriæ Ducis ejusdem Historia de  
 bellis civilibus Franciæ ab Anno 1648.  
 usque ad annum 1652. V. Andreas  
 Fromm, qui Electoris Brandenburgici  
 Con-



Consistorialis Consiliarius per decem Sæc. XVII.  
 annos, & per quindecim Præpositus A. C. 1685.  
 Spreanus, necnon Stettini per septen-  
 decim annos Philosophiæ, & per octo  
 Theologiæ Professor erat, tandem eju-  
 rata Lutheri secta Anno hujus sæculi  
 sexagesimo octavo Pragæ unacum uxore  
 & liberis fidem Catholicam amplexa-  
 tus est, simulque librum sub titulo:  
*reditus* edidit, in quo inter alias caus-  
 sas, quibus ad ejurandam sectam per-  
 motus esset, adduxit. I. Quod Luthe-  
 rus innumerabilibus locis sibi sit ad-  
 versatus. II. Quod Lutherana secta,  
 per Contentionem, credenda mutarit,  
 mutetque. III. Quod P. Jacobus Ma-  
 senius in libro meditatæ concordiæ eas  
 offerat veritates, quibus nullus Luthe-  
 ranorum refragari possit. IV. Quod  
 Catholicorum religio a Lutheranis,  
 non nisi mendaciis, oppugnetur. V.  
 Quod Lutherani eadem in praxi ha-  
 beant, quæ in Catholicis carpunt,  
 & vituperant. VI. Quod Lutherana  
 secta vix aliud, quam carnem & san-  
 guinem sapiat. VII. Quod Lutherus  
 non solum male vixerit, sed & male  
 vivere docuerit. VIII. Quod Luthe-  
 rani per schisma a Catholica Ecclesia  
 recesserint. IX. Quod Lutherana secta  
 novitia sit &c. VI. Antonius Ches-  
 nois Ord. FF. Præd. scripsit Idæam  
 Chri-



Sæc. XVII. Christiani, Instructionem Christianam, A. C. 1685. conferentias sacras, Interiora actionum quotidianarum, atque innumeras pene epistolas Sacras. VII. Ludovicus Bancell ex eodem Ordine prælo subjecit tractatum de militia Angelica S. Thomæ, Moralem doctrinam ejusdem Doctoris, & septem tomos universæ Theologiæ tam moralis, quam Scholasticæ, ubi tamen nimis audacter tenet parvulos olim sine circumcissione, & nunc sine Baptismo etiam in utero Matris decedentes in fide parentum salvari posse. VII. Felicianus a S. Magdalena Carmelita publici juris fecit novam eloquentiæ methodum juxta rhetoricam Aristotelis, Raymundi Lullii & Gymnasiorum communem, necnon defensionem providentiæ Divinæ juxta Doctrinam SS. Augustini, & Thomæ.

## §. CII.

*Scriptorum A catholicorum decessus ac lucubrationes.*

*Act. erud. Lat. Witte Diar. Biogr.* Inter Scriptores A catholicos, qui hoc anno obiire, celebriores sunt. I. Sebastianus Gæbelius, qui posteris reliquit disputationes de pactis Dei cum hominibus, de analysi textuum, Methodologiam homilecticam, thesaurum Evangelicum, Regulas vitæ Christianæ præ-



præter alia minoris momenti opuscula. Sæc. XVII.  
 II. Abraham Calvius scripsit disputationes de Angariis veterum, de Selenolatria a Jeremia c. 7. & 44. improbata, de destructione Arbelæ & de Pyrolatria Persarum. III. Jacobus Tentzelius edidit tractatum de aquis salutaribus miraculosis, de Eleemosynis, & de Messia Heroe torculario: calamum quoque suum exercuit adversus attentatam concordiam Rintelensem inter Calvinistas & Lutheranos. IV. Gerhardus Brand scripsit Diarium historicum, historiam Reformationis in Belgio, & defensionem contra accusationes Henrici Rulæi. V. Michael Siricius vulgavit disputationes de Deo, de Simone Mago, de Ebionitis, de lacrimis Christi, de immortalitate animæ, de uxore una, de religione Moscovitica, necnon acta colloqui Giessensis, causam Dei & Scripturæ S. contra Schefflerum, Collegium Theologicum, Præconem pœnitentiæ, atque ostensionem fundamentalem abominationum Papatus circa Religiosum cultum creaturarum. VI. Christophorus Arnoldus, edidit relationem historicam de Quackeris, & panegyricum de pacificatione Norimbergensi. VII. Antonius Hulfius vulgavit Nomenclatorem Biblicum Hebræo - Latinum, Examen Catecheticum, *Hist. Eccles. Tom. LXV.* Bb ticum,

Sæc. XVII.  
 A. C. 1685.



Sæc. XVII. ticum, specimina Theologiæ Hypotheticæ, systema controversiarum, Authenticam textus Hebraici contra Voffium, Theologiam Judaicam de Messia, præter librum Psalmorum cum notis.

## §. CIII.

*Illustrium obitus.*

**P**ræter Carolum II. Angliæ Regem hoc item anno obiit. I. Marquardus Schenk de Castell Episcopus Eichstettensis, qui Ratisbonæ in comitatu Imperii primarium Cæsaris Legatum egit: Natus erat annos octoginta, successorem habuit Joannem Eucharium Comitem Castellæ in Schelkingen. Pari fato sublatu est Emericus ex Capuccino Episcopus Viennensis, qui ob eximium Religionis studium grave sibi sectariorum odium accersivit: vacantem Ecclesiam Cæsaris nominatione obtinuit Ernestus Comes de Trautson. Emericum eadem mortis necessitate die quarta Novembris sequebatur Albertus Sigismundus Episcopus Frisingensis ac Ratisbonensis, Alberti Bavaricæ Ducis Filius, cui post triginta ferme quatuor annorum regimen in utraque Ecclesia successit Josephus Clemens Ferdinandi Mariæ Electoris Filius: Decessit insuper die decima quinta Maij Heidelbergæ



bergæ Carolus Elector Palatinus, qui, Sæc. XVII.  
 cum improlis esset, & nonnisi unicam A. C. 1685.  
 Sororem Carolinam Elisabetham olim  
 Philippo Aurelianensium Duci nuptam  
 reliquisset, ingenti controversiæ de suc-  
 cessione ansam præbuit: quippe Electo-  
 ratum ambiabant Guilielmus Neoburgi-  
 cus, & Leopoldus Ludovicus Palati-  
 nus Veldentinus, iste juxta lineam pro-  
 prior & hoc anno in successorem decla-  
 ratus, hic gradu proximior: prævale-  
 bat Neoburgicus, cui favebant Impe-  
 rator ipsumque Electorale Collegium,  
 relicta vero Soror ab intestato omnia  
 petebat bona: obstitit autem Verius  
 Franciæ Legatus, qui ad Pontificis ar-  
 bitrium provocabat, hujus vero sen-  
 tentiæ utpote in Imperii præjudicium  
 pronuntiatae stare, renuit Imperator:  
 tandem vero Elector Neoburgicus cum  
 Ducissa Aurelianensi super allodialibus  
 mobilibus de certa pecuniarum summa  
 convenit, reclamantibus Gallis. Obie-  
 rant denique Regina Daniæ vidua,  
 Gustavus Caroli XI. Sueciæ Regis Fi-  
 lius, Clara Isabella Sigismundi Fran-  
 cisci Archiducis Oenipontani Soror, ac  
 Caroli Gonzagæ Mantuæ Ducis uxor  
 & Fridericus Augustus Filius pri-  
 mogenitus Friderici III.  
 Prussiæ Regis.

